

KC  
1603







616  
D  
JO  
SER  
S



59  
Q. D. B. V.

1729  
CURSUS JURIS  
SEU

619  
JURISPRUDENTIÆ UNIVERSÆ  
IN ARTEM REDACTÆ

EJUSDEMQUE

PARTIS CIVILIS

EXERCITATIO VI.

DE STATU MATRIMO-  
NIALI

Ke 1603  
AUCTORE

JO. GODOFREDI HARTUNGII D.  
SERENISSIMI PRINCIPIS LANDGRAVII HAS-  
SO-DARMSTADINI CONSILIARIO, ET  
PROF. JURIS ORDIN.


POST

IPSIUS OBITUM

PRIMUM EVULGATA.

GIESSÆ,

Literis Johannis Mülleri.



CURSUS JURIS

SEU

JURISPRUDENTIE UNIVERSAE

IN ARTEMI KADATE

INUSSEPTU

PARTIS CIVILIS

EXERCITATIO VI

DE STATU MATRIMONII

NIALI

AIKTOE

O. GODOFREDI HARTUNG

ERESSEMI PRINCEPS LAR GRAVI HAS

SO-DARMSHAGENI O. HARTUNG, LL.

PROF. JURIS ORD.

POST

PRINCEPS OBITUM

PRINCEPS PRINCEPS

Licent. Johannis Altmann



## CAP. I.

DE

STATV MATRIMONIALI  
IN GENERE.

1. Status *matrimonialis* uel *late*, uel *stricte* accipitur.
2. *Late* acceptus complectitur simul statum *sponsalium* et *concubinarium*.
3. *Stricte* acceptus denotat eum statum, in quo coniuges legitimi constituti sunt, qui in specie *coniugalis* appellari potest.
4. Secundum statum matrimonialem *late* acceptum personae diuiduntur (1. in *sponsam* et *sponsam*: (2. in *maritum* et *uxorem*: (3. in *uirum* et *concubinam*.
5. Sponsalia praecedunt matrimonium, concubinitus inter matrimonium et fornicationem medius est.
6. Vnde agendum (1. de *sponsalibus*: (2. de *matrimonio*: (3. de *concubinato*: (4. de *actionibus* ex statu matrimoniali descendentibus.

## CAP. II.

DE

## SPONSALIBVS.

1. *Sponsalia* sunt mentio et repromissio, id est, oblatio et acceptatio, futurarum nuptiarum. *l. 1. et t. T. D. DE SPONSALIBVS. XXIII. 1. T. C. DE SPONSALIBVS ET ARRHIS SPONSALITIIS ET PROXENETICIS. V. 1.*
2. Dicuntur a *spondendo*, quod olim motis fuit stipulari et spondere sibi uxores futuras. *l. 2. eod.*
3. Diuiduntur in sponsalia (1. de *praesenti* et de *futuro*: (2. *pura* et *conditionalia*: (3. *publica* et *clandestina*.
4. Sponsalia de *praesenti* et de *futuro* a quibusdam cum puris et conditionalibus pro iisdem habentur. LAV-

A

TERB.

2<sup>o</sup> EXERCIT. J. CIV. DE STATV MATRIM.

TERB. C. J. T. de sponsal. p. 437. HOPP. ad I. T. de nuptiis, p. 71. et 73.

5. Contra ab aliis distinguuntur, sed diuersimode, sic ut sponsalia de futuro habeantur (α. pro nudis tractatibus sponsalitiis. Dn. a BERGER. Oec. J. p. 94. CARPZ. L. 2. D. 18. et 174.

6. (β. Pro pacto de sponsalibus ineundis, sponsalia conditionalia pro ipsis sponsalibus, sed sub conditione initis.

7. (γ. Pro ueris sponsalibus, sed impuberum, quae consecuta pubertate retractari possint. B. BEYER. Pos. ad Inst. T. de nupt. §. 69. 70.

8. (δ. Pro sponsalibus, sponsalia de praesenti pro ipso matrimonio. c. 25. X. de sponsal. j. c. 1. c. 27. qu. 2. HVBER. Digress. l. 2. c. 7. et seqq. et Prael. ad II. T. de sponsal. CARPZ. L. 2. D. 17. j. D. 176.

9. Mihi diuisio sponsalium in *pura* et *conditionalia* pro subdiuisione sponsalium de futuro, atque sic haec una cum sponsalibus de praesenti pro ueris sponsalibus habenda uidentur.

10. Sponsalia de praesenti uoco, quae in praesenti seu in continenti *perfecta* sunt, ratione cum *constitutionis*, tum *effectus*, seu ratione cum *existentiae*, tum *subsistentiae*. c. 2. X. de sponsal.

11. Haec contrahuntur uerbis praesentis temporis, *accipio* uel *duco te* in uxorem. c. 3. X. de sponsa duor.

12. Sponsalia de futuro uoco, quae *imperfecta* sunt ratione uel *constitutionis* seu *existentiae*, uel *effectus* seu *subsistentiae*, perfectionemque à futuro tempore expectant.

13. Speciatim sponsalia de futuro *pura* sunt, quae imperfecta sunt ratione *subsistentiae* tantum, sic ut nulla conditio adiecta fuerit, ut sponsalia impuberum, a quibus post pubertatem recedi potest. c. 7. X. de desponsat. impub. j. c. 2. X. de sponsal.

14. Spon-



14. Sponsalia de futuro *conditionalia* sunt, quae imperfecta sunt ratione uel *existentiae*, quando conditio *suspensua*, uel *subsistentiae*, quando *resolutiua* adiecta est.

15. Vtriusque generis sponsalia de futuro contrahuntur uerbis futuri temporis, *ego ducam*, uel *accipiam te in uxorem*. c. 22. X. de sponsal.

16. Magis tamen ad rem ipsam, quam ad uerba respiciendum, inprimis hodie. a. c. ult. j. c. 7. X. de despons. impub. j. CARPZ. L. 2. D. 18. n. 4.

17. Hoc amplius conditio, quae sponsalibus adiicitur, est (1. *honestae* uel *turpis*: (2. *possibilis* uel *impossibilis*.)

18. *Honestae* et *possibilis* conditio recte adiicitur, hoc effectu, ut (a. si est *suspensua*, sponsalia *existente* ea retro existant, *deficiente* ea deficient, *pendente* ea sint in suspenso, hoc effectu, ut interim poenitere non liceat. c. 5. X. de cond. appof. CARPZ. 2. 20. et 21.

19. (β. Si est *resolutiua*, sponsalia statim existant, sed *deficiente* conditione nulla reddantur, *existente* ea confirmantur. v. c. 5. X. de cond. appof.

20. Quae *limitantur*, si (1. copula carnalis interceperit, qua sponsalia *conditionalia* simpliciter purificantur. c. 3. et 6. X. de cond. appof. CARPZ. L. 2. D. 25.

21. (2. Conditioni renunciauerit is, in cuius fauorem adiecta, quod facere ipsi etiam altera parte inuita licet. a. l. 29. C. de pact. CARPZ. L. 2. D. 24.

22. (3. Aliud quid obstat, u. c. cum liberi sponsalia celebrarunt sub conditione, si parentes consenserint, quo casu antequam parentum consensus seu ratihabitio sequitur, recedere liberi a sponsalibus possunt. Dn. a BERGER *Oec. J. p. 107. ubi praej.*

23. *Turpis* conditio non uitiat sponsalia, sed uitiat, id est, pro non adiecta habetur. c. ult. X. de condit. appof.

24. Nec distinguendum ex dicto c. ult. *utrum conditio*



*tio cum substantia matrimonii pugnet, nec ne, quia illa distinctio non ad conditionem proprie dictam, sed ad modum, de quo mox, est referenda, ut ex formulis conditionum in ipso cap. allatis intelligere est.*

25. *Impossibilis* conditio regulariter uitiat sponsalia, interdum non uitiat, arbitrio iudicis, maxime si sit conditio resolutiua. v. STRYK. *ad Brunnem. J. E. l. 2. c. 16. §. 14. STRVV. S. J. C. Ex. 29. §. 8.*

26. Cum conditione non est confundendus *modus* uel *dies* sponsalibus adiectus.

27. *Modus* est, quo matrimonium dirigitur, modumque accipit, postquam contractum, uel etiam consummatum est.

28. Qui *modus* sponsalia uitiat, si cum natura matrimonii pugnat, *non uitiat*, si cum ea non pugnat. *c. ult. X. de condit. appof.*

29. Uitiat item matrimonium *contractum*, sed nondum consummatum, si cum natura eius pugnat, u. c. si ita promissum sponsalibus matrimonium, ut alteruter coniugum uel uterque ad concubitum non teneatur, subsequente fit benedictio sacerdotalis.

30. Idem iuris est, si contractum matrimonium sub uoto perpetuae castitatis, per ea, quae tradit CARPZOV. *L. 2. D. 172. n. 12. et seqq.*

31. Non uitiat matrimonium *consummatum*, sed (α. si *honestus* et *possibilis* est, adimplendus est, hoc effectu, ut ad eius impletionem, uel ad id quod interest, agi possit. HVBER. *Prael. ad □. T. de sponsal. §. 16.*

32. (β. Si *turpis* uel *impossibilis* est, habetur pro non adiecto.

33. *Dies* sponsalibus adiicitur, quando sic contrahuntur, ut ex hoc uel illo die ualere, uel ut nuptiae non prius sequi, quam post hunc uel illum diem, debeant. *l. 9. de sponsal.*

34. Qua-

34. Qualia sponsalia statim existunt atque subsistunt, sed hoc effectu, ut agi ex illis non prius ad matrimonii consummationem, quam ex die adiecto, possit.  
a. §. 2. l. de V. O.

35. *Publica et clandestina* sponsalia *proprie et stricte* dicuntur sine respectu ad consensum parentum, ratione testium, qui uel absunt, uel adsunt sponsalibus.

36. Vbi hoc tantum interest, quod nec omnia publica sponsalia ualeant, nec omnia clandestina non ualeant, prout uel illis defuit, uel his adfuit consensus parentum.

37. At communiter tam *late* accipiuntur, ut respectus simul ad consensum parentum habeatur. vid. VN-  
GEBAYER *ad Decret. T. de clandest. despons. n. 2.*

38. Quo *laxiori* in significato *publica* sponsalia uoco (1. quae ab iis, *qui parentes habent*, in praesentia parentum, uel ad minimum eorum consensu, siue coram testibus, siue sine iis, contracta sunt.

39. (2. Quae ab iis, *qui parentes non habent*, coram testibus contracta sunt.

40. *Clandestina* sponsalia uoco (1. quae ab iis, *qui parentes habent*, sine consensu parentum, licet coram testibus, contracta sunt.

41. (2. Quae ab iis, *qui parentes non habent*, sine testibus contracta sunt.

42. Nam eo casu, quando sponsalia contrahunt qui parentes habent, eademque cum consensu parentum contrahunt, testibus opus non est. *conf. Dn. a BERGER Oec. J. p. 95. Diff. HOPP. Ex. l. T. de nupt. qu. 10. LAVTERB. C. J. p. 437.*

43. Etiam si (α. parentes sponsalibus non intersint, quippe quorum non praesentia, sed consensus requiritur. *Dn. a BERGER d. l. ubi praesud.*

44. (β. Alterutra earum personarum, quae sponsalia



contrahunt, parentes, uel eorum non nisi unum habent.  
*Laud. a BERGER d. l. ubi praej.*

45. Nisi alicubi aliud aut expressio iure prouinciali uel statutorio constitutum, aut tacite per consuetudinem introductum sit, quod ordinatione matrimoniali *Sax. El.* factum non est.

46. Testes accipiendi sunt (a) ad minimum duo: (ß) etiam domestici. *a. l. 12. de test. l. 8. §. 6. C. de repudiis. j. Ordin. Eccl. Sax. El. T. von Chegelöbuisen s. Wo auch in C. J. S. p. 237.*

47. Quo loco non confundenda sponsaliorum constitutio cum eorum coram duobus testibus initorum probatione, quae etiam uno tantum teste fieri potest, ad eum effectum, ut iureiurando eius, cui probatio incumbit, suppleatur.

48. *Publica* sponsalia omni iure ualent, etiam Saxo-nico Electorali. *Constit. Eccl. d. T.*

49. *Clandestina* sponsalia, quae ob defectum testium talia, iure *Ciuili* et *Canonico* inualida non sunt, si aliunde probari possint. *l. 4. de spons. c. 2. X. de clandest. despons. LAV-TERB. C. J. p. 437.*

50. Quae ob defectum consensus parentum talia, iure tam *Romano*, quam *Canonico* nulla sunt. *a. pr. et §. 12. l. de nupt. j. l. 7. §. 1. de sponsal. c. 1. c. 30. qu. 5. CARPZ. L. 2. D. 39. HOPP. ad pr. l. de nupt.*

51. Adeo ut per subsequentem ratihabitionem perinde ac nuptiae sine consensu parentum contractae, non nisi a tempore ratihabitionis confirmentur. *d. pr. l. de nupt. l. 68. de iur. dot. l. 13. §. 6. ad L. Jul. de adult. CARPZ. L. 2. D. 41.*

52. *Jure Sax. El.* utriusque generis sponsalia clandestina

stina prorsus inualida et nulla sunt. *Const. Eccl. d. t. S.*

Wo auch. a)

53. Quod (α. *declaratur*, ut sententia Consistorii nullitatis declaratoria opus sit. *CARPZ. L. 2. D. 40.*

54. (β. *Ampliatur* (1. ut praeterea liberi poena carceris arbitraria afficiantur. *d. Const. Eccl. CARPZ. L. 2. D. 50.*

55. (2. Vt non ualeant sponsalia sine parentum consensu contracta, etiamsi iuramento liberorum corroborata sint. *CARPZ. L. 2. D. 58. b)*

56. (3. Vt nec eadem ualeant, etiamsi parentes nullam dissentienti causam habeant. c) *CARPZ. L. 2. D. 57.*

57. (γ. *Limitatur*, si (1. coram duobus testibus uel Consistorio repetantur. *d. f. Wo auch Const. Sax. El. Eccles. CARPZ. L. 2. D. 35. d)*

58. (2.

a) Quod *7. Hassiaco* secus, quo ualent sponsalia clandestina, modo probari possint, nec parentes, quorum consensus neglectus, iustam dissensionis causam habeant. *Ordin. Eccles. Hass. p. 363. edit. nouiss. ubi et iustae causae recensentur.*

b) Quod et iuris communis est. *CARPZOV. d. l. B. a LYNCKER Tom. 1. Resp. 158. n. 40.*

c) Nam solus contemptus ad denegandum consensum sufficit. *CARPZ. d. l. Quod ut et ipsum iam iuris communis est, Dn. a BERGER Oec. 7. p. 107. n. 1. Sic tamen etiam temperandum est secundum ea, quae mox sequuntur sub lit. d. 7. Hassiaco requiritur iusta dissentienti causa, per ea, quae dicta sub lit. a.*

d) Quod et extra Saxoniam usum habere potest, nisi specialis dispositio uel mores in contrarium ostendantur. Nam iuris communis est, ut sponsalia ob defectum consensus parentum pro nullis declarata repeti, et parentes ad dicendas causas dissepsum ad Consistorium citari, et ab hoc consensus parentum, caeteris paribus, suppleri possit. *B. a LYNCKER Dec. 1278.*



58. (2. Parentes sponsalia liberorum sine ipsorum consensu contracta ratihabuerint. CARPZ. *L. 2. D. 41. e)*

59. Quo casu tamen sponsalia clandestina *hodieque* non aliter quam a tempore ratihabitionis conualescunt. CARPZ. *d. l. f)*

60. Cuius rei effectus est, ut liberi reslire a sponsalibus possint, antequam parentum ratihabitio subsequatur.

61. (3. Copula carnalis uel benedictio sacerdotalis accesserit. CARPZ. *d. L. 2. D. 36. et 60. g)*

62. Quod (1) limitatur ( $\alpha$ ) si circumstantiae concurrant, ob quas nihilominus sponsalia clandestina concubitu confirmata rescindenda sint, ratione quarum pro norma habetur Rescriptum Electorale *b)* apud CARPZOV. *d. L.*

*e)* Quod et ipsam iuris communis, non solum hodierni, sed et Romani atque Canonici est, per ea, quae dicta in *pos. 51. h. t.*

*f)* Nam regula, quod ratihabitio retrotrahat omnia ad initium negotii gesti, fallit tuac, cum ad formam negotii substantialem mandatum, uel iussus, aut consensus requiritur, ut hic consensus parentum ad sponsalia liberorum. Ratio est, quod nemo a forma, quam lex praescripsit, recedere possit. CARPZ. *c. l. n. 10. sq.* Caeterum tamen liberos ex talibus clandestinis, postea per ratihabitionem confirmatis sponsalibus *7. Sax. El.* pro legitimis habendos esse censeo, quia et liberi ex nuptiis sine consensu parentum contractis nati per subsequutum ex tempore ratihabitionis matrimonium hodie legitimantur. *Dec. El. Sax. 49. LAVTERB. Coll. Th. Pr. Tit. de R. N. 3. 21.*

*g)* Quod et extra Saxoniam extendi et applicari solet, ob rationes, quae communiter pro illa sententia afferuntur, ad quas tamen respondet *B. a LYNCKER Tom. 1. Resp. 102. n. 21. sqq. Add. Ref. 482.*

*h)* Quod licet ad *Saxoniam Electoralem* pertineat, tamen ob aequitatem et iustitiam eorum, quae continet, respici et extra Saxoniam *El.* ac applicari solet, *B. a LYNCKER Tom. 1. Resp.*

*d. L. 2. D. 60. in f. Dn. a BERGER El. Discept. For. Suppl. P. 2. p. 1861. sequ. j. Oec. J. p. 108.*

63. (B) Modo deflorata sponsalia clandestina urgeat, eademque per concubitus confirmata uelit. *Laud. Dn. a BERGER Oec. J. p. 95. in f. et seq. ubi praej.*

64. Quod denuo *sublimitatur*, nisi partus ex concubitu natus sit. *ID. d. l.*

65. Quod et ipsum *sublimitatur*, modo non concubitus uiolentus fuerit. *ID. d. l.*

66. (2) *Temperatur*, ut liberi non modo carcere puniantur, uerum etiam a parentibus penitus possint exhe-

B

reda-

*Resp. 22. n. 8.* Nam habetur in eo, quod copula carnalis tum demum faciat subsistere sponsalia clandestina, cum (1. filius sui iuris, uel in patria potestate quidem constitutus, sed maiorennis est: (2. deflorata honestis parentibus uata et bonae famae, nec de futuro dissensu, et uitanda ea propter cum altera persona conuersatione admonita est: nec (3. parentes alias iustam dissentendi causam habent. Quod idem iam a uariis Ictis pariter ac Theologis assertum, et praeciuicis dudum confirmatum est. v. LYNCKER. *d. l.* ut adeo copula solis fere desponsatis, parentibus uero nihil noceat, nisi quod solus contentus parentum iustam dissentendi causam non praebeat. Atque eatenus etiam J. communi, et ubi alias sponsalia clandestina ipso iure nulla non sunt, sed ualent, si probari possunt, nec parentes iustam dissentendi causam habent, ut in *Hassia*, superueniens copula carnalis parentibus nocet, cum alias nihil roboris addat, sed res eo redeat, an probari possint sponsalia clandestina, nec parentes iustam dissentendi causam proferre ualeant, vid. *Ord. Eccles. Hass. p. 366. §. Zum andern.* Secus uero est, si copula sacerdotalis accessit, nam haec infert matrimonium consummatum, copula carnalis uero tantum consummandum, ut adeo illo casu, cum copula sacerdotalis accessit, dissensus parentum non attendatur, quibuscunque causis superstructus sit. LYNCKER. *d. Resp. 22. n. 8. et R. 102. Tom. I, n. 22. (99. Add. Res. 369.*

redari, et migrare cogantur. *Ord. Eccles. d. l. 9. Würden auch.*

67. *Parentum nomine*, quorum consensus ad sponsalia liberorum requiritur, *intelliguntur* (1. *J. Civili*, illi, qui liberos in potestate habent, item illi, quibus ex nuptiis liberorum suus heres agnasci potest. *l. 7. §. 1. j. l. 10. de sponsal. l. 16. §. 2. de R. N.*

68. Quod *ampliatur*, (1) siue liberi prima, siue secunda sponsalia, quae se. secundas nuptias praecedunt, contrahant. *a. l. 18. C. de nupt.*

69. (2) Siue parentes boni sint, siue impii et crudeles. *a. Nou. 12. c. 2. CARPZ. d. L. 2. D. 43.*

70. (3) Siue sint integrae mentis, siue furiosi, uel mente capti, quorum consensum eorum curatores supplent. *v. l. 25. C. de nupt. CARPZOV. d. D. 43. SCHILT. l. J. C. l. 2. t. 10. §. 5.*

71. (4) Ut nec emancipatae feminae, uel quae alias sui iuris sunt, quoad minores sunt, negligere consensum patris et matris, et propinquorum debeant. *l. 18. et 20. j. l. 1. et 8. C. de nupt. v. B. a LYNCKER Dec. 1190.*

72. Quod ultimum sic accipiendū, ut si neglectus consensus parentum fuerit, sponsalia non sint nulla. *d. l. 18. et 20.*

73. Itemque, ut si dissensus sit inter eos, quorum consensus magis ex honestate et pietate, quam necessitate adhibetur, iudex causa cognita arbitrari, et in dubio secundum uoluntatem eorum, qui sponsalia celebraturi sunt, pronuntiare debeat. *d. l. 18.*

74. (2. *J. hodierno*, speciatimque *Sax. El.* tam pater, quam mater, et his deficientibus auus et auia, sine respectu ad patriam potestatem. *LAVTERBACH. Coll. b. t. §. 33. CARPZ. l. 2. D. 44. Ord. Eccl. Sax. El. d. l. v. tn. LYNCKER. d. D. 1190.*

75. Non item reliqui cognati, qui tamen nec teme-  
re,



re, deficientibus parentibus, in primis a femellis, praeter-  
eundi sunt, licet eorum magis consultatio quam consen-  
sus sit, eadem, qua J. ciuili, ratione. v. d. l. 18. C. de nupt.  
*ibi: consulens mulier.*

76. Sed et prius de parentibus sic accipiendum, ut  
si pater et mater, uel auus et auia inter se dissentiant, po-  
tior patris, quam matris, aui, quam auiae, ratio habeatur.  
CARPZ. d. D. 44. n. 16. Dn. a BERGER Oec. J. p. 106.

77. Quodsi pater uiuus in sponsalia consensit, ma-  
ter dissensit, uel filuit, mortuo patre mater dissentiendo  
sponsalia nondum contracta impedire, contracta dissolue-  
re non potest. *Laud. a BERGER d. l. ubi praej.*

78. *Consensus parentum* in sponsalia liberorum inter-  
ponitur (i. uel *expresse*, uel *tacite*, etiam nudo silentio. l. 7.  
*de sponsal. l. 5. C. de nupt.*

79. Modo parentes sponsalia liberorum sciant. d. l.  
*s. C. de nupt.*

80. Quae scientia J. *ciuili* praecedere sponsalia de-  
bere, J. *hodierno* etiam sequi posse dicitur, sed idem utroque  
iure est ratihabitionis effectus, secundum ea, quae iam  
dicta sunt *pos. 59. h. C.*

81. Consensus parentum in conuersationem filii  
cum puella non inducit consensum in sponsalia clam con-  
tracta, sufficit tamen ad hoc, ut parentibus iusiurandum  
purgatorium dictari possit, se in sponsalia non consensisse.  
Dn. a BERG. Oec. J. p. 107. Conf. B. a LYNCK. T. 1. R. 158. n. 41. sqq.

82. (2. *Libere* uel *coacte*, si iustas dissentendi causas  
non habent, de quibus iudex arbitratur, et pro re nata  
parentum consensum supplet. Dn. a BERGER P. 2. R. 82.  
CARPZ. L. 2. D. 53. 55. 56. 62.

83. Quod etiam J. *Sax. El.* procedit, sed hoc effectu  
ut parentibus liceat liberos, in quorum sponsalia consen-  
tire coguntur, usque ad dimidiam legitimae, uel pro cau-



farum, ob quas differunt, grauitate, in totum exheredare.  
*Ord. Eccl. Sax. El. d. l. 9. Und da. in C. J. S. p. 272. CARPZ.  
 L. 2. D. 54. Diff. MENCK. T. de R. N. p. 344. in tabb.*

84. *Contrahuntur sponsalia* (1. ratione personarum ab  
 iisdem, a quibus nuptiae contrahuntur. *l. 15. 16. de sponsal.*

85. Nisi diuersa ratio subfit, ut ( $\alpha$ . in *impuberibus*,  
 qui contrahere sponsalia possunt, modo infantia maiores  
 sint. *l. 14. de sponsal. c. 4. X. de despons. impub.*

86. Sed hoc inter impuberum et puberum sponsa-  
 lia interest, quod illa consecuta pubertate retractari possint,  
 haec ex causa aetatis rescindi non possint. *c. 7. X. eod.*

87. Nisi ad impuberum sponsalia commixtio carna-  
 lis accesserit. *c. 8. X. eod.*

88. Modo ea uera fuerit, praeuertente aetatem na-  
 tura, non attentata, itemque spontanea, non uiolenta, uel  
 minimum subsequente consensu a uiolentia purgata. *c. 9.  
 et 10. eod.*

89. ( $\beta$ . In *uidua lugente maritum*, quae sponsalia in-  
 tra annum luctus sine metu infamiae contrahit. *l. 10. §. 1.  
 j. l. 8. l. 11. §. 1. l. 1. de his, qui not. infam.*

90. ( $\gamma$ . In *Praefide prouinciae et aliis*, qui sponsalia  
 cum prouincialibus intra illud tempus, quo officium in  
 prouincia administrant, contrahere possunt, nuptias non  
 possunt. *l. 38. de R. N.*

91. Ratio est, quia in sponsalibus metus coactionis  
 cessat, eo quod finito officio integrum est feminis a spon-  
 salibus recedere. *d. l. 38. j. l. 63. de R. N.*

92. (2. Ratione *modi*, consensu ( $\alpha$ . eorum, inter quos  
 sponsalia celebrantur, non sufficiente sola parentum uo-  
 luntate. *l. 11. l. 13. j. l. 12. §. 1. de sponsal. CARPZ. L. 2. D. 26.*

93. ( $\beta$ . Parentum de necessitate, aliorum cognato-  
 rum de honestate, secundum ea, quae dicta sunt.

94. Tutorum et curatorum consensus necessario  
 non

non requiritur. *l. 6. de sponsal. l. 20. de R. N. l. 8. C. de nupt.*  
 CARPZ. *L. 2. D. 46. 47. 48.*

95. Quod in Ducatu Pomeraniae superioris, *Voto Pommern/* secus, per *Ord. Pol. de A. 1681. Dn. a BERGER Oecon. J. p. 109. ubi praej.*

96. Consensus eorum, qui sponsalia contrahunt, debet esse (1. *uerus.*

97. Non sufficit consensus simulatus.

98. Nec per iocum datus. CARPZ. *L. 2. D. 49.*

99. Nec in immodica et summa ebrietate declaratus. CARPZ. *L. 2. D. 31.*

100. Nec ex errore profectus. *a. l. 15. de iurisdic. l. 57. de O. et A. l. 116. §. 2. de R. J.*

101. Modo error fit *substantialis*, non *accidental.*  
*c. un. caus. 29. quae. 1.*

102. *Substantialis* error est, qui circa substantiam personae seu indiuiduum, uel statum uersatur.

103. Prioris generis error *substantialis* ad principalem personae qualitatem, uirginitatem, extenditur. *Nov. Leon. 93. CARPZ. L. 2. D. 193.*

104. *Accidental* error est, qui circa bona corporis uel fortunae, item nomen personae uersatur.

105. Interdum tamen et *accidental* error sponsalia uitiat, quando ei dolus causam dedit. *RICHT. Dec. 78. Dn. a BERGER Oecon. J. p. 104.*

106. Siue dolus alterius contrahentium, siue tertii fuerit. *ID. d. l. et in Ref. Laut. p. 531. ubi praej.*

107. (2. *Certus.*

108. Non sufficit consensus dubitabundo animo prolatus.

109. Nec ambiguus, qualis continetur uerbis: *Ist es auch fragens werth.* CARPZ. *4. 20. 9.*

110. Item si quis dicat ad feminam: *er wolle sie*



niemals verlassen/er wolle ihr ewig getreu verbleiben /  
cum haec uerba etiam de ope, auxilio, alimentisque intel-  
ligi possint. *Dn. a BERGER Ref. Laut. p. 524.*

111. Modo ad uerba ambigua non accesserit con-  
cubitus, cuius ad minimum haec uis est, ut iusiurandum  
purgatorium ei, qui ambiguo sermone usus, iniungi possit.  
*c. 26. X. de sponsal. Dn. a BERGER Oecon. J. p. 103.*

112. Modo uerba ambigua uel paulo ante, uel in  
concubitu prolata fuerint. *ID. d. l. ubi praej.*

113. (3. *Liber. l. 12. l. 14. C. de nupt.*

114. Non sufficit consensus *ui metuque extortus.*  
*c. 14. X. de sponsal.*

115. Etiam si iusiurandum accessit. *CARPZ. L. 2. D. 28.*

116. Modo ( $\alpha$ . *metus non uanus, sed iustus est, qui*  
*in constantem uirum uel feminam cadit. c. 15. X. de sponsal.*

117. Qualis iustus metus non est nudus metus re-  
uerentialis absque factis uel minis parentum. *l. 22. X. de*  
*sponsal. l. 22. de R. N.*

118. ( $\beta$ . *Metus non est subsequenti consensu pur-*  
*gatus. c. 21. X. de sponsal. CARPZ. L. 2. D. 29.*

119. (4. *Alteri parti legitime declaratus.*

120. *Declaratio fieri potest ( $\alpha$ . uerbis et factis. a. l. 4.*  
*de sponsal. j. l. 48. §. 3. de aedil. edict.*

121. *Verbis accipe tam dictis, quam scriptis. l. 7. de*  
*sponsal.*

122. *Factis accipe tam traditione et acceptione arrhae,*  
*quam aliis. T. C. DE SPONSALIBVS ET ARRHIS SPONSALITIIS,*  
*ET PROXENETICIS. V. 1. j. tn. B. a LYNCKER Dec. 983.*

123. Modo traditionem acceptionemque arrhae  
tractatio sponsalitia praecesserit.

124. Vel mos regionis ita ferat, ut simpliciter da-  
tione

tione acceptationeque arrhae sponsalia contrahantur. v. c. 10. X. de sent. et re iud. HOPP. ad l. 2. de nupt. p. 82.

125. *Aliis factis accipe u. c. nutu in mutuo. c. 25. X. de sponsal.*

126. Item osculo, quando hunc in finem expetitum est, ut per illud consensus sponsalitiis declararetur.

127. Itemque concubitu, quando in signum consensus sponsalitiis expetitum est.

128. (β. Inter praesentes et absentes per literas. l. 4. §. 1. de sponsal. B. a LYNCKER Dec. 1400.

129. Modo obseruetur, oblationem acceptationemue matrimonii non prius perfectam esse, quam eadem ad alterius partis notitiam peruenit, nec prius perfecta esse sponsalia, quam oblatio acceptatioque perfecta est.

130. Vnde consequitur, proci, antequam de acceptatione puellae certior fiat, poenitere, nuntiumque puellae mittere posse.

131. Modo hic nuntius prius ad puellam, quam puellae acceptatio ad notitiam proci peruenerit. HVBER. Prael. ad II. 2. de sponsal. n. 13.

132. (γ. Immediate uel mediate per procuratorem. l. 18. de sponsal. ibi: per alium. l. 5. eod. ibi: ratum habuerint. i) c. f. de procurat. in 6. k)

133. Pro-

i) Poni in eo solet differentia inter procuratorem et nuncium, quod ille per ratihabitionem constituatur, hic non. v. LAV-TERBACH. Diff. de nuncio, §. 7. Ergo lex illa §. loquitur de procuratore stricto dicto, non de nuncio.

k) Ibi: procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale. Sed solet hic communiter procurator accipi pro nuncio, quasi matrimonium (et consequenter etiam sponsalia) per procuratorem contrahi non possit, bene tamen per nuncium. Rationem adferunt,

133. Procurator accipiendus est, qui speciali mandato ad contrahenda sponsalia instructus est, uel cuius facta, cum speciali mandato destitutus esset, rati habentur ab eo, cuius nomine sponsalia contracta sunt. *d. l. 18. et 5. de sponsal.*

134. Cum quo procuratore non confundendus est nuncius seu internuncius, per quem etiam sponsalia non minus, quam ipsum matrimonium, contrahi potest. *d. l. 18. de sponsal. ibi: an per internuncium. l. 5. D. de R. N. ibi: uel per nuntium.*

135. Sed hoc casu non mediate, sed immediate contracta

adferunt, quod matrimonium (perinde ac sponsalia) ipsius procuratoris consensu contrahi, et in illius persona radicari, atque postea in eius dominum transferri non possit, sicut et uerba in personam absentis concipi debeant, hoc uel simili modo: *Titius consentit in te, uel accipit te in uxorem me mediante*, et ex parte mulieris: *Ego tuo interuentu herum tuum accipio in maritum*, LAVTERBACH. *cit. Diss. §. 30.* Sed nescio, cur non formula sic concipi posset: *Ego nomine ac loco Titii te duco in uxorem*, uel quod ad sponsalia: *Ego nomine ac loco Titii tibi promitto matrimonium*, et cur non limitatio admitti possit, ut quod ad mere personalia seu praestationes ad personam restrictas, obligatio uel ius quaesitum in persona procuratoris non radicetur, uti nec alias semper radicatur, ut in casu *l. 6. §. 1. de negot. gest.* Ceterum ad haec rectius intelligenda obseruandum, quod nuncius et procurator potissimum in eo differant, quod (1) nuncius tanquam pica et uiua uox mittentis ipsa uerba mittentis recitet, et omnia ad mittentem referantur: procurator aliena negotia administret, et suo consensu uerbis in suam personam conceptis, licet procuratorio nomine, contrahat: (2) procuratori acquiratur actio directa, sicut et directa actione tenetur, ex contractu uel negotio peracto: nuncio nulla actio acquiratur, sicut nec ipse obligetur, LAVTERB. *cit. Diss. §. 38. et 39.*

tracta sponsalia uel matrimonium intelliguntur, quia nuncius est os mittentis et uia eius uox, et ciuili sensu una cum illo persona. *l) v. LAVTERBACH. Diff. de nuncio, §. 38.*

136. (8. Cum uel sine *arrha*, quae *arrha sponsalitia*, germanice *Mahltschaf*/ appellari solet.

137. Datur *J. Ciuili* sponsae a sponso, probationis et poenitentiae impediendae causa, qua ex una etiam parte sponsalia dissoluantur. *l. 1. C. de sponsal.*

138. *Hodie* mutuo a sponso et sponsa dari solet, abesse tamen adhuc etiam a sponsalibus potest.

139. Non secuto matrimonio (a. culpa *sponsae*, *arrha* sponso restituenda est, sic quidem, ut si sponsa maiorennis est, duplum *arrhae*, si minorennis, simplum praestetur, quae omnia in sponsa rectoris prouinciae uel similis personae secus. *l. 5. C. de sponsal. T. C. SI RECTOR PROVIN- CIAE VEL AD REM PERTINENTES SPONSALITIA DEDERINT. V. 2.*

140. (8. Culpa *sponsi*, sponsa *arrham* retinet. *l. 3. C. de sponsal.*

141. (7. *Casu*, u. c. morte sponsi uel sponsae, uel uitiosponsaliorum, quae ipso iure nulla sunt, *arrha* simpli restituenda. *d. l. 3. C. de sponsal.*

142. Nisi culpa sponsi uel sponsae casum praecessit, *d. l. 3.*

143. *Hodie in Saxonia El.* non secuto matrimonio (a. culpa *sponsi* uel *sponsae*, parti innocenti *arrha* sua restituitur, *C* partis

*l)* Quidquid per nuncium geritur, illud non a nuncio, sed a mittente ipso fieri dicitur: unde nec duae personae adesse intelliguntur, quales in procuratore et domino negotii conspiciuntur, sed una, perinde ac si sponsalia per epistolam contracta essent, unde et nuncius uia mittentis epistola appellatur, *LAVTERBACH. d. §. 38.*

partis nocentis arrha Consistorio cedit. CARPZOV. L. 2. D. 64. n. 13. 14.

144. Quem in finem mox ab initio motae de sponsalibus litis arrha sponsalitia ex parte cum sponsi, tum sponsae, ad Consistorium deferenda. CARPZ. d. l. n. 12.

145. (β. Casu, u. c. morte, arrha ab utraque parte regulariter retinetur. CARPZ. 3. 19. 13.

146. (γ. Vicio ipsorum sponsalium, quae pro nullis declarata, regulariter utraque pars arrham quaeque suam recipit. CARPZ. L. 2. D. 51.

147. Cum arrha sponsalitia non est confundenda sponsalitia largitas, quae est donatio, a sponso sponsae uel uice uersa, ad amorem conciliandum facta. T. C. de donationibus ante nuptias, uel propter nuptias, et SPONSALITUS. V. 3.

148. Sponsalitia largitate quae donata sunt, J. Civili matrimonio non secuto (i. propter mortem sponsi uel sponsae, repetuntur (α. quando a sponso sponsae donata sunt, et osculum interuenit, pro dimidia, si osculum non interuenit, in totum. l. 15. C. d. t.

149. (β. Quando a sponsa sponso donata sunt, in totum indistincte, siue osculum interuenerit, siue non. d. l. 16.

150. (2. Culpa sponsi uel sponsae, aut utriusque, repetuntur priori casu a parte innocente, non uero a nocente, nec tamen etiam a sponsa, cum pars nocens est, duplum praestandum, posteriori casu uero utrimque restituntur. l. 15. C. d. t. PEREZ. ad C. d. t. n. 12.

151. Modo donatio ob futurum matrimonium, quod in dubio praesumitur, non simpliciter et absque respectu ad illud facta sit, quod posterius probandum. l. 12. et 15. C. de donat. ante nupt. B. a LYNCKER Tom. 1. Resp. 38. n. 19. sq.

152. Hodie sponsalitia munera matrimonio non secuto (α. ob mortem sponsi uel sponsae, uel uicio sponsalio-



rum, sine distinctione personarum, quibus et a quibus donata, uel osculi, utrum interuenerit, nec ne, repetuntur. RICHT. Dec. 147. B. a LYNCKER Ref. 286.

153. (β. *Culpa sponsi uel sponsae, aut utriusque, pro arbitrio iudicis modo restitui dicitur, modo retineri, nunquam uero cedere Consistorio, ut arrha sponsalitia: sed tutius J. Romano simpliciter inhaeretur.* B. a LYNCKER d. R. 38. n. 26. ubi praej.

154. *Stipulationem poenae in casum poenitentiae sponsalibus adicere non licet. l. 5. §. ult. C. de sponsal. l. 134. de V. O. c. 29. X. de sponsal.*

155. *Circa solutionem sponsaliorum obseruandum, aliud esse sponsalia solui, aliud declarari pro nullis.*

156. *Quae pro nullis declarantur, ab initio non constiterunt: quae soluuntur, ab initio constiterunt, sed ex post facto infirmantur.*

157. *Priori casu quae sententia fertur, uocatur nullitatis declaratoria, quae posteriori, uocatur rescissoria.*

158. *Vtroque casu hodie auctoritate iudicis Ecclesiastici seu Consistorii opus est.*

159. *Soluuntur sponsalia uel in concursu plurium sponsaliorum, sic ut alia aliis praeferantur, uel extra concursum.*

160. *Contursus sponsaliorum accipiendus est adhuc durantium, exclusis illis, quae iam per desertionem sententiamque, uel ob aliam iustam causam dissoluta, aut morte personarum desponsatarum finita sunt.*

161. *In concursu sponsaliorum posteriora de praesenti praeferuntur prioribus de futuro. c. 22. X. de sponsal.*

162. *Etiamsi prioribus de futuro iuramentum accessit. d. c. 22.*

163. *Modo non copula carnalis accessit. c. 25. et 30. X. eod. t. de sponsal.*



164. Secundum haec, sponsalia pura posteriora praeferi prioribus conditionalibus, afferunt CARPZOV. *L. 2. D. 70. SCHILT. I. J. Can. L. 2. T. 10. §. 12.*

165. Quae sententia rectius aliis displicet. *Dn. a BERGER Ref. Lauterb. p. 525.*

166. Sponsalia priora de praesenti praeferuntur sponsalibus posterioribus, siue de praesenti, siue de futuro. *c. 1. et 3. X. de sponsa duor.*

167. Etiam si posterioribus copula carnalis uel sacerdotalis accessit. *c. 3. et 5. X. de sponsa duor. c. 30. et 31. X. de sponsal.*

168. Quod hodieque obtinet, licet quod ad copulam sacerdotalem, diffentiat CARPZ. *L. 2. D. 66. et B. a LYNCKER Tom. 1. Resp. 102. n. 24. Vid. Dn. a BERGER Oec. J. p. 112. STRYK, ad Brunnem. J. E. l. 2. c. 16. §. 8. ad uerba: de consuetudine. SCHILT. Ex. 36. §. 61. et seq.*

169. Modo ( $\alpha$ . copula carnalis ante benedictionem sacerdotalem, non post eam accessit.

170. ( $\beta$ . Prior sponsa sponsalia prima firma esse uelit, delictumque sponso condonet. *Constit. Eccles. Sax. El. Rubr. von Ehegelöbnißsen. §. ult. CARPZ. L. 2. D. 65. n. 6.*

171. Sponsalia clandestina, quae ob defectum testium talia sunt, J. *Ciuili et Canonico*, si aliunde probari possunt, sponsalibus publicis in concursu aequipollent. *a. c. 2. X. de clandest. despons.*

172. Non item *J. Sax. El.* nisi in casibus exceptis, in quibus ualent, per ea, quae dicta superius *pos. 57-61. h. t.*

173. Quae ob defectum consensus parentum clandestina sponsalia sunt, J. tam *Romano et Canonico*, quam *Sax. El.* publicis sponsalibus postponuntur.

174. Exceptis casibus, quibus eadem ualere non minus ac publica supra dictum. *cit. pos. 57. sqq. h. t.*

175. Quae-

175. Quaecunque uero sponsalia aliis in concursu praefertantur, punitur is, qui bina sponsalia contraxit, (1. J. *Ciui*li infamia. l. i. de his, qui not. infam.

176. (2. J. *Sax. El.* (1) infamia. *Ord. Matrim. Rubr.* vom Ehegelöbniß. §. Wann sich jemand. j. P. 4. C. *El.* 20. §. ult.

177. (2) Praeter infamiam (α. quando *copula carnalis ad posteriora sponsalia accessit*, numellis ac perpetua relegatione. *Const. Eccl. d. l.* §. Würde sich.

178. (β. Quando *copula carnalis non accessit*, carcere uel alia poena arbitraria. *Const. Eccl. d. l.* §. Wann sich.

179. *Extra concursum* sponsalia dissoluuntur (1. morte sponfi uel sponsae, uel utriusque, J. tam *Romano*, quam *Canonico*, et *hodierno*.

180. (2. *Repudio*, id est, renunciatione, etiam unius partis, *Jure Ciuili*. l. i. C. de sponsal. T. D. DE DIUORTIIS ET REPVDIIS. XXIV. 2. T. C. DE REPVDIIS, et iudicio de moribus sublato. V. 17.

181. Idem de J. *Canonico* nonnullis persuasum est, minimum, quando sponsalibus ab utraque parte renunciatur, et iudicialis auctoritas intercedat, per c. 2. et 17. X. de sponsal. Dn. a BERGER *El. Proc. Matr.* §. 42. STRYK. *Diss. de dissens. sponsal. Sect. 3.* §. 19. j. §. 8. sqq.

182. *Hodie* in terris Protestantium requiritur (α. magna causa: (β. auctoritas iudicis ecclesiastici, seu *Consistorii*.

183. *Magna causa* accipienda, quae uel *matrimonium etiam soluit*, uel *affectionem inter desponsatos tollit*.

184. *Prioris generis* causae sunt (1. *concubitus* sponsae uel sponfi cum alio aliaue factus.

185. Quod (α. *ampliatur*, (1) siue *post*, siue *ante* sponsalia factus est. CARPZ. L. 2. D. 184. 186. 187.

186. (2) *Ante* sponsalia siue a sponsa, siue a sponso factus.

factus. CARPZOV. *d. L. 2. D. 188.* Diff. SVENDEND. *ad Eckolt. T. de sponsal. §. 7.* FINCKELTHVS. *Obsf. 30. n. 46. et seqq.*

187. (3) Etiam si concubitus *post* sponsalia factus praesumptive tantum probetur, per impudicam conuersationem. CARPZ. *d. L. 2. D. 185.*

188. (β. *Limitatur*, nisi pars altera iam ante sponsalia uitium personae, cum qua sponsalia contraxit, sciuit, uel eo postea comperto filuit.

189. (2. *Malitiosa et diuturna dilatio nuptiarum*, quae desertioni aequiparatur, maxime si parti innocenti alia contrahendi matrimonii occasio obtigerit. *v. l. 2. C. de repud. c. 5. X. de sponsal.*

190. Siue absens sit is, qui nuptias differt, siue praesens, et in consummando matrimonio morosus.

191. Modo utroque casu iusta causa dilationis non subsit. *l. 17. de sponsal.*

192. Qualis quae sit, itemque, quae sit diuturna et dolosa dilatio, iudex ecclesiasticus arbitratur. *v. FINCKELTHVS. Obsf. 111. n. 13. et seqq.*

193. (3. *Furor* contractis sponsalibus superueniens, cuius curandi spes nulla superest. *a. l. 22. §. 7. soluto matrim. j. l. 17. de sponsal. CARPZ. L. 2. D. 182. 183.*

194. Non sufficit furor, qui ante sponsalia adfuit, nisi in interuallo dolose celatus est. CARPZ. *d. D. 183. B. a LYNCKER Dec. 1058.*

195. *Posterioris generis* causae, quae affectionem inter desponsatos tollunt, sunt (1. *inimicitia grauis et irreconciliabilis.* *v. l. 2. X. de sponsal. CARPZ. L. 2. D. 176.*

196. Qualis quae sit, ex causa aestimandum, ex qua descendit.

197. Vnde non esse inimicitiam irreconciliabilem, quae ex attentata illecebris concubitus anticipationem or-

tum

tum traxit, respondit F. W. ap. *Dn. WERNHER. Vol. 1. O. F. 25.*

198. (2. *Delictum*, non praecise atrox, ut furtum maius, sed et aliud, pro arbitrio iudicis, maxime quod infamiam iuris post se trahit. *Dn. LEYSER Medit. ad II. Spec. 52. §. 4. Diff. CARPZ. 4. 24. 10. j. L. 2. D. 177. et 178.*

199. (3. *Epilepsia*, uel lepra aut alius morbus contagiosus, sponsalibus contractis superueniens.

200. Praesertim si idem hereditarius et incurabilis est. *CARPZ. d. L. 2. D. 180.*

201. Idem attendendus, cum adfuit quidem ante sponsalia, sed dolose celatus est, per ea, quae de furore tradit *CARPZ. d. D. 183. n. 13.*

202. (4. Foeda corporis mutilatio. *a. c. 25. X. de iur. iurand. MENCKEN. ad D. T. de sponsal. in tab. p. 341.*

203. (5. Intolerabilis foetor. *B. a LYNCKER Dec. 983.*

## CAP. III.

DE

## MATRIMONIO IN GENERE.

1. *Matrimonium* et *nuptiae* communiter pro synonymis accipiuntur.

2. Vnde *nuptiae* seu *matrimonium* dicitur esse *uiri et mulieris coniunctio, indiuiduam uitae consuetudinem continens*, in §. 1. l. de patr. potest.

3. *Proprie et stricto sensu* *nuptiae* solennitatem celebritatemque contractus coniugalis, non ipsum coniugium, significant. l. 66. §. 1. de donat. inter uir. et ux. l. 24. C. de nupt.

4. Seu *nuptiae* sunt actus transiens: *matrimonium* seu *coniugium* status, ens permanens, societas: *connubium* facult.

facultas moralis ducendi uxorem. SCHILT. *l. J. Can. l. 2. t. II. §. 1. lit. a.*

5. Hoc amplius *nuptiae* pariter ac *matrimonium coniugiumque* et *connubium* uoces ciuiles sunt, et de ciuibus usurpantur, de seruis et peregrinis *contubernium* dicitur. *l. 3. C. de incest. nupt. VLPIAN. Tit. 5.*

6. Vnde postquam de *matrimonio* actum erit, agendum de *contubernio*.

7. De *matrimonio* agetur sic, ut explicetur (1. *qua ratione constituatur*: (2. *quis sit constituti effectus*: (3. *qua ratione et quo cum effectu soluatur*.

#### CAP. IV.

### QUA RATIONE MATRIMONIVM CONSTITVATVR.

1. Qua ratione constituatur seu contrahatur matrimonium, ut intelligamus, distincte uidendum, (1. *inter quas personas*, (2. *quo modo*, contrahatur. *T. 1. et C. DE NVPTIIS. l. 10. V. 4. T. D. DE RITV NVPTIARVM. XXIII. 2.*

2. *Personae*, inter quas matrimonium contrahitur, debent esse (1. *ratione sexus* masculus et femina.

3. Hermaphroditus contrahere quoque matrimonium potest, pro eo sexu, ad quem refertur, secundum ea, quae superioribus dicta sunt.

4. (2. *Ratione numeri* unus et una, prohibita polygamia tam uirorum, quam mulierum, *Jure Rom.* sub poena arbitraria, *Jure Imperii* uero et *Saxonico El.* sub poena capitis. §. 6. et 7. *l. de nupt. l. 2. C. de incest. nupt. c. 8. X. de diuort. O. C. a. 121. P. 4. C. El. 20.*

5. Secundas uel ultiores nuptias, prioribus solutis, contrahere regulariter licet. *c. ult. X. de secund. nupt. l. 1.*

l. i. et T. T. C. DE SECUNDIS NVPTIIS. V. 9. CARPZOV. L. 2.  
D. 166. et seqq.

6. Etiam si (α. promissio de uiduitate seruanda, eademque iurata, defuncto coniugi facta est. CARPZ. L. 2.  
D. 172.

7. (β. Viduus uel uidua nondum bona defuncti cum liberis diuisit. CARPZ. L. 2. D. 171.

8. Quod posterius iure *Lubecensi* fecus. l. 2. t. 2. a. 2. 3.  
12. MEV. P. 2. D. 336.

9. Vsfusus tamen superstiti coniugi a defuncto ea lege relictus, ut secundis nuptiis interire debeat, contractis secundis nuptiis perit, etiam *hodie*. T. C. SI SECUNDO NVPSERIT MVLIER, CUI MARITVS VSVFRVCTVM RELIQVIT. V. 10. Nou. 22. c. 32.

10. Puniuntur item secundae uel posteriores nuptiae ab uxore intra annum luctus contractae, praeter infamiam, uariis modis, prout uel liberi ex priori matrimonio existunt, uel non. Nou. 22. c. 22.

11. Imo et earum nuptiarum, quae post annum luctus contrahuntur, quidam adhuc effectus sunt non admodum mulieribus fauorabiles, qui tamen *hodie* plerisque in locis negliguntur. d. N. c. 23. 35. 46. §. 1. 2. N. 94. c. 2. l. 6. C. de sec. nupt. MENCK. ad D. T. de R. N. in tabb. p. 345. sq.

12. (3. Ratione *causae efficientis matrimonii*, sic comparatae, ut consensum in matrimonium dare possint.

13. Vnde excluduntur a nuptiis *furiosi*, *mente capti*, *summe ebrii*, *surdi et muti simul* a natiuitate. l. 6. C. de curat. *furios*.

14. (4. Ratione *finis matrimonii*, habiles ad coeundum, unde *impuberes*, *impotentes*, *castrati* excluduntur. l. 4. de R. N. c. 2. X. de frigid. et malef. §. 9. l. de adopt. CARPZ. L. 2. D. 12.

15. Non *senes* regulariter, nec *pumiliones*, nec omnes

D

spado-

*spadones. l. 27. C. de nupt. l. 39. §. 1. de iur. dot. j. l. 128. de V. S. CARPZ. L. 2. D. 13.*

16. Nec personae, quae generandi, non coeundi facultate destitutae sunt, si illae, cum quibus matrimonium inire uolunt, eius uitii non ignarae sunt. STRYK. *ad Brunnem. J. E. l. 2. c. 17. §. 2.*

17. Item impuberum matrimonium *J. Ciuili* post pubertatem conualescit, itemque *J. Can.* si uel commixtio carnalis uera et spontanea accessit, uel post pubertatem rati habetur. *d. l. 4. de R. N. c. 7-10. X. de despons. impub.*

18. (5. *Ratione aliarum qualitatum, uel respectuum, quos inuicem sustinent*, non lege prohibita matrimonio copulari.

19. Prohibentur matrimonio copulari (1) ob *statum* serui et peregrini, *J. Romano*, non *Canonico*, nec *hodierno. pr. l. de nupt. c. 1. X. de coniug. seru.* HOPP. *ad d. pr. V. H. p. 69.*

20. (2) Ob *cognitionem* (α. *parentes et liberi* indistincte, in infinitum, et *omni iure. §. 1. 6. 7. 9. l. de nupt. l. 14. §. 2. l. 15. de R. N. l. 4. C. de nupt. T. C. DE INCESTIS ET INUTILIBVS NVPTIIS. V. 5.*

21. *Indistincte* accipiendum tam de *consanguinitate*, quam de *affinitate*, eiusdemque tam de *primo* genere, quam de *secundo*, α) tam de *legitimis* parentibus liberisque, quam de

α) Vtrum secundum genus affinitatis in linea recta attendi debeat, ualde titubant et disputant tam Theologi, quam Jcti inter se. Multi putant, secundum et tertium genus affinitatis purum commentum Pontificium esse, nec in re aut natura ullum fundamentum habere, ac ea propter etiam postea ab ipsis Pontificibus, re rectius cogitata, sublatum esse. Dn. SCHRADER *tr. de causis fori Eccles. C. 1. T. 1. §. 52. ibique cit.* ZIEGLERVS *ad Lancelotum l. 2. t. 13. §. 10.* Alii contra in re et natura omnino fundamentum habere, de Jure tam



de illegitimis, tam de naturalibus, quam adoptiuis, etiam soluta affinitate uel adoptione. *dd. §.*

22. (8. Cognati collaterales. (1. Jure Diuino 6) et Ciuili  
D 2 usque

tam Diuino, quam Ciuili, contendunt. Vid. praeiudicia apud *Dn. a BERGER Supplem. ad Electa proc. matrim. p. 114. sqq. et 124. sq.* ubi et *l. 15. D. de R. N.* allegata, quae Papiniani est, et ita se habet: *Vxorem quondam priuigni coniungi matrimonio uitrici non oportet: nec in matrimonium conuenire nouercam eius, qui priuignae maritus fuit.* Vnde ne quidem dispensatio in casu matrimonii cum uitrici magni uidua admissa, quae tamen, sed aegre, admissa ibidem in casu matrimonii cum priuigni uidua. Conf. dicta sub *lit. c.* et *CARPZOV. L. 2. D. 101.*

- b) Quod sc. *Leuiticorum 18.* extat, et a plerisque pro iure positivo uniuersali habetur. Diuersae tamen circa gradus hoc iure Diuino in linea collaterali tam consanguinitatis, quam affinitatis, prohibitos, Theologorum pariter ac Juristarum sunt sententiae, praesertim in affinitate, prout quisque uel gradum prohibitum intuetur, uel personas expresse nominatas. Sic u. c. matrimonium cum praedefunctae uxoris sorore, uel sororis filia, prohibitum esse, affirmant alii, quia hi gradus in consanguinitate pariter ac affinitate prohibiti, *Leuit. 18. v. 9. 12. 13. 14.* alii negant, quia hae personae non expresse nominatae sint, sed potius quoad uxoris sororem nuptiae expresse permissae reperiantur *v. 18.* Vnde diuersa Facultatum tam Theologicarum, quam Juridicarum, responsa extant apud *Dn. a BERGER in Supplem. ad Electa process. matrim. p. 44. sqq. Dn. SCHRADERVM de causis fori eccles. C. 1. T. 1. §. 40. sq. DEDEKENNIVM in Consiliis et alios.* Item ratione consanguinitatis alii statuunt, matrimonium cum auunculo seu uice uersa cum sororis filia, item cum patruo seu uice uersa cum fratris filia, prohibitum esse, eo quod matrimonium cum amita uel matertera, atque sic gradus prohibitus sit, *Lev. 18. v. 12. 13.* alii uero prohibitum esse negant, eo quod illae personae nusquam nominentur, et intercedat ratio  
disse-

usque ad *tertium* gradum *inclusue*, computationis *ciuilis*, tam *consanguinitatis*, quam *affinitatis* primi generis. §. 2. 3. 4. l. de nupt. l. 5. et 8. C. de incest. nupt. j. l. 14. §. 2. de R. N. l. 4. C. de nupt.

23. Item siue cognati *bilaterales*, siue *unilaterales* sunt, siue *legitimi*, siue *illegitimi*, siue *naturales*, siue *adoptiui*, quamdiu cum his in patria potestate sunt. *dd. ll.*

24. Nisi concurrat *respectus parentelae*, ob quem nuptiae *in infinitum* prohibitaee sunt, licet idem in *affinitate* a quibusdam ad tertium gradum computationis *ciuilis* restringatur. §. 5. l. de nupt. *Dn. a BERGER Oec. J. p. 100.*

25. (2. J. Canonico usque ad *quartum* gradum *inclusue*, computationis *canonicae*, lineae *aequalis*, tam *consanguinitatis*, quam *affinitatis* primi generis. c) c. 8. et 9. X. de *consangu. et affin.* j. can. 12. *caus. 35. qu. 2. et 3.*

26. (3. J. Saxonico *El.* usque ad *tertium* gradum *inclusue*, computationis *Canonicae*, lineae *inaequalis d)* tam

differentiae. Nam quod amita uel matertera duci uxor non possit, inde esse, quod subiiceretur marito, cui matris loco esse debet: at secus esse, quando femina nubat patruo uel auunculo, seu quis ducat uxorem fratris uel sororis suae filiam. *Dn. SCHRADER d. l. Add. B. a LYNCKER Vol. 1. Resp. 6. et 126. Vol. 2. Resp. 35. it. Res. 409. et 637.*

c) Jure Canonico *ueteri* tam in primo, quam secundo et tertio genere *affinitatis* matrimonium prohibitum fuit, et in primo quidem usque ad septimum, in secundo usque ad quartum, in tertio usque ad secundum gradum. c. 7. 19. et *ult. caus. 35. qu. 2. et 3. c. 3. sqq. d. caus. 35. qu. 10.* At iure Canonico *recentiori* primum genus *affinitatis* tantum attendi, ob *cit. c. 8. et 9. X. de consangu. et affin.* plerique statuunt, alii tamen hoc ad lineam *collateralem* restringunt, et in linea *recta* secundum quoque genus *affinitatis* atcedi uolunt, per *cit. can. 12. caus. 35. qu. 2. et 3. v. Dn. SCHRADER land. tr. c. 1. t. 1. §. 51.*

d) *Hassiac* et aliis passim iuribus *provincialibus* etiam tertius gradus

*consanguinitatis*, quam *affinitatis* primi et secundi generis.  
*Ord. Eccles. T. von Ehe- u. Sachen/ in C. I. S. p. 273. et sequ.*  
 CARPZ. L. 2. D. 102. 103.

27. Nisi amplius respectus parentelae obstat, qui in infinitum attenditur.

28. Dispensare posse principem non nisi circa gradus solo iure humano prohibitos, siue ab initio, seu *permittendo*, siue ex post facto, seu *tolerando* nuptias semel contractas, communis sententia est. l. 2. C. si nupt. ex rescript. pet. BRUNNEM. J. Eccl. l. 2. c. 16. §. 25-27. Add. STRYK. *ibid. in not.*

29. Alii tamen tolerantiam pro specie dispensationis non agnoscentes eam, si partes dirimi nolint, concedunt, quando Diuinus legislator poenam capitis in gradum prohibitum non constituit, nec prohibitio naturalis est, sed forensis uel moralis. B. a LYNCKER. Vol. 1. Resp. 126. CARPZ. L. 2. D. 99.

30. Cognatio *spiritualis* J. *Ciuili et Canonico* impedit matrimonium, sed *hodie* in terris Protestantium ubiuis fere negligitur. T. *Decr. de cognat. spiritual.* ZIEGL. *ad Lancell.* l. 2. t. 13. n. 1. j. HAHN. *ad Wesenb. T. de R. N. n. IV. ad uerba: moribus autem nostris.*

31. Stuprum tamen inter susceptorem et susceptam, uel susceptricem et susceptum commissum grauius, quam aliud, punitur. CARPZ. *Qu. 72. n. 57.*

32. (3) Ob *delictum* (α. *adulter cum adultera*, quod J. *Can. et hodierno* regulariter secus. *Nou. 134. c. 12. c. 6. X. de eo qui dux. in matr. quam pol.* STRYK. *ad Brunnem. J. E. l. 2. c. 16. §. 16.*

D 3

33. (β.)

gradus lineae aequalis prohibitus est, de secundo uero uel tertio genere affinitatis ibidem nihil habetur. *Ord. Eccles. Hass. p. 372. 399.*



33. (β. *Raptor cum rapta*, quod similiter *J. Can.* et *hodierno* in plerisque locis secus. *l. un. § 1. C. de rapt. uirg. c. ult. X. de raptor.* SCHILT. *Ex. 49 §. 104. et seq.* HAHN. *ad Wesenb. T. de R. N. n. IV. ad uerba: sed et si.*

34. (4) Ob *metum coactionis* is, qui potestatem habet, cum ea, quae ipsius iurisdictioni subiecta est, quod cum *J. Dig.* temperatur, ut sponsalia celebrare possit, tum *J. Cod.* ut contractae nuptiae subsistant, tum *J. hod.* ut non obseruetur. *l. 38. l. 57. de R. N. T. C.* SI QUACVNQVE PRAE-DITVS POTESTATE VEL AD EVM PERTINENTES AD SYMPOSI-TARVM IYRISDICTIONI SVAE ADSPIRARE TENTAYERINT NY-PTIAS. *V. 7.*

35. (5) Ob *periculum rationum interuertendarum*, uel *dolosae* persuasionis aut *coactionis*, *pupilla* uel *minor* cum *tutore* uel *curatore*, eiusue *filio* uel *nepote*. *l. 59. l. 66. de R. N. T. C.* DE INTERDICTO MATRIMONIO INTER PVPILLAM ET TV-TOREM SEV CVRATOREM FILIOSQVE EORVM. *V. 6.*

36. Nisi pater pupillae uel minoris id uoluit, uel *hodie* rationes sunt redditae. *d. l. 66. l. 6. C. d. t.* FINCKELTH. *Obs. 92.*

37. (6) Ob *religionis* diuersitatem, *fidelis* cum *infideli*, uel *orthodoxus* cum *haeretica*, quod *hodie* ad Reformatos, Catholicos et Lutheranos non est applicandum. *l. 6. C. de Iudaeis.* HAHN. *ad Wesenb. d. l. ad uerba: Hoc tamen.* CARPZ. *L. 2. D. 6. 7. 8.*

38. (7) Ob *ordinis* diuersitatem, *senatorius* uir cum *plebeia*, et sic porro, quod impedimentum nouo *J.* sublatum. *l. 9. de senat. Nou. 78. c. 3.* CARPZOV. *L. 2. D. 9. 10. 11. 56.*

39. (8) Ob *uotum* apud Catholicos *clerici*, uel qui alias perpetuam castitatem uouerunt, non *hodie* apud Protestantes. *T. Decret. Qui clerici uel uouentes matr. contr. poss.* CARPZ. *L. 2. D. 4. 5.*

40. Quod



40. Quod ad *modum*, contrahitur matrimonium (1. ratione formae *internae*, consensu ( $\alpha$ . eorum, qui matrimonium ineunt, uero, certo, libero, legitime declarato, qui *matrimonialis* appellatur. l. 21. de R. N. l. 12. C. de nupt.

41. Vnde matrimonium ex metu, uel errore substantiali, etiam circa uirginitatem, uel accidentali, cui dolus causam dedit, contractum ipso iure nullum est. STRVV. S. J. C. Ex. 29. §. 25.

42. ( $\beta$ . *Parentum*, secundum ea, quae de sponsalibus dicta, hoc effectu, ut si consensus parentum deficiat, matrimonium fit nullum J. *Ciuili*, non J. *hodierno* regulariter. pr. et §. 12. l. de nupt. HOPP. ad d. pr. V. H. p. 78.

43. Semel datus parentum consensus sufficit, nec alius in sponsalia, alius in matrimonium liberorum requiritur. v. CARPZ. L. 2. D. 59.

44. (2. Ratione formae *externae*, ( $\alpha$ ) J. *Ciuili* solemnitatibus nuptialibus, ad quam pertinebat deductio sponsae in domum mariti, uel cum concubina in matrimonium ducitur, nuptialibus instrumentis. v. BRISSON. *Antiquit. J. C. l. 1. c. 18*. ROSIN. *A. R. l. 5. c. 37*.

45. ( $\beta$ ) J. *Canonico* copulatione sacerdotali, quam praecessit publica ex suggestu sacro proclamatio. *can. 3. caus. 30. qu. 5. c. 3. X. de cland. desp. c. 27. X. de sponsal. c. ult. X. qui matr. accus.*

46. Quae proclamatio trina fere esse solet, sic tamen, ut per dispensationem uel ob necessitatem coarctari, uel penitus remitti et possit, et soleat. CARPZ. L. 2. D. 137-142.

47. Quod si proclamatio de facto omissa est, copulam sacerdotalem ipsumque matrimonium non reddit nullum.

48. Contra copulae sacerdotalis neglectus matrimonium impedit, hoc effectu (1. ut non separentur, qui conjugali affectione una uixerunt, sed addita copula sacerdotali

tali ueri coniuges efficiantur. CARPZOV. *L. 2. D. 142. et 132.*

49. (2. Vt liberi ante copulam nati stricto iure sint illegitimi, ex aequitate pro legitimis habeantur, et ad hereditatem parentum admittantur. *c. 12. X. qui filii sint legit. j. l. 5. C. de LL. CARPZ. 3. 14. 12. BRVNEM. C. 4. D. 47. HOPP. ad pr. l. de nupt. p. 80.*

50. Quod praeterea ( $\alpha$ . *limitatur*, si (1) aliud concurrat impedimentum, ob quod matrimonium consistere non possit. *c. 3. §. 1. X. de cland. despons.*

51. (2) Lex expressa prouincialis obstat, quod ex parte etiam facit lex *Sax. El.* requirens, ut liberi ex publicis sponsalibus nascantur. *Dec. El. 49.*

52. ( $\beta$ . *Ampliatur*, etiamsi copula sacerdotalis ob absentiam uel mortem alterutrius partis subsequi non potuit. CARPZ. *d. l. in praef.*

53. Hoc amplius copulatio sacerdotalis fieri debet ( $\alpha$ ) *in templo*, non in aedibus priuatis, nisi necessitas aliud postulet, uel dispensatio interueniat. CARPZOV. *L. 2. D. 143-147. SCHILT. 1. J. C. l. 2. t. II. §. 9.*

54. ( $\beta$ ) *Tempore legitimo*, quale non est tempus Aduentus uel Quadragesimarum, nisi dominus territorii dispensauerit. *c. 20. c. 30. qu. 4. CARPZOV. L. 2. D. 152. seq.*

55. Quodsi copulatio ab eo facta, qui nec pastor uocatus, nec ordinem accepit, est ipso iure nulla, ac ea propter repetenda. *B. a LYNCKER Vol. 2. Respons. 165. n. 8. sq.*

56. Si uero copulatio eatenus tantum uitiosa est, quod ab alienae parochiae pastore suscepta, subsistit, salua pastoris et copulatorum poena. *B. a LYNCKER d. l.*

57. (3. Ratione *accessoriorum*, uel cum, uel sine dote, donatione propter nuptias, pactisue dotalibus.

58. *Dos*

58. *Dos* est quasi patrimonium, quod ab uxore in maritum confertur ad ferenda matrimonii onera. *l. 76. in fin. D. et t. T. D. et C. DE IVRE DOTIVM. XXIII. 3. V. 12.*

59. Proficitur dos uel ex re patris aut intuitu eius, quae *profecititia*, uel aliunde, quae *aduentitia* appellatur. *l. 5. de iur. dot.*

60. Eadem, quando actu illata est, *constituta* et *numerata*, quando nondum illata, *promissa*, speciatimque, quando maritus se accepisse spe futurae numerationis scriptis confessus est, *canta* dicitur. *T. C. DE DOTE CAVTA, NON NVMERATA. V. 15. T. C. DE DOTIS PROMISSIONE ET NVDA POLLICITATIONE. V. 11.*

61. Constituitur dos (1. ratione *personarum* (2. ex *iuris necessitate* a patre filiae legitimae, in potestate constitutae, si non aliunde dotem habere potest, uel etiam emancipatae, quae sine dote honeste nubere non potest. *l. 19. de R. N. l. 44. de iur. dot. CARPZ. 2. 42. 12. et 13.*

62. (3. Ex *libera uoluntate* a matre regulariter, fratribus et aliis. *l. 14. C. de iur. dot. l. 12. §. 3. l. 13. §. ult. de admin. et per. tut. CARPZ. 2. 46. 15. et 16.*

63. (2. Ratione *obiecti* in rebus corporalibus et incorporalibus, mobilibus et immobilibus, quantitibus et speciebus, propriis et alienis, ad effectum euictionis praestandae. *l. 7. §. 2. D. l. 1. C. de iur. dot. l. 1. C. de dot. promiss.*

64. (3. Ratione *modi*, aestimato uel inaeestimato, et aestimato quidem uel taxationis, uel, quod in dubio praesumitur, uenditionis gratia. *l. 5. l. 21. l. 30. C. eod. C. LAVT. p. 393.*

65. Doti affinia sunt (1) bona *paraphernalia*, quae ab uxore praeter dotem ad maritum inferuntur, qualia praesumuntur, quae aliquantum post contractum matrimonium illata sunt. *l. 8. C. de pact. consu. SCHILT. Exerc. 36. §. 80.*

66. (2) *Bona receptitia*, *Spielgelder/ Sparhasen/* quae uxor non ad maritum intulit, sed sibi penitus reser-  
uauit. Conf. STRYKII *Diss. de iure mariti in bona uxoris*  
c. 4. *Francof. Vol. 5. D. 17.*

67. (3) *Munera nuptialia*, quae nouis coniugibus ab  
illis, qui nuptiis interfuerunt, uel aliis exhibentur.

68. Cum quibus non confundendum *munus proxe-  
neticum*, quod datur illis, qui nuptias conciliarunt. *T. C. de*  
*sponsalibus et arrhis sponsalitiis, et PROXENETICIS. V. 1.*

69. (4) Ex J. Germanico *morgengaba*, quod est do-  
num *matutinum*, recens factae uxori a marito in compen-  
sationem delibatae uirginitatis, uel concreditae pudicitiae  
oblatum.

70. (5) *Subsidium paternum*, quo continentur ea,  
quae dabantur olim, et hodie dari solent genero in subsi-  
dium, *zur väterlichen Hülffe.* v. CARPZOV. 3. 23. 15.  
SCHILT. *Exerc. 36. §. 68.*

71. *Donatio ante uel propter nuptias* est, quae ante  
uel post nuptias fit uxori a marito, in dotis securitatem  
et remunerationem, *hodie Gegenvermächtnis.* *T. C. DE*  
*DONATIONIBVS ANTE NVPTIAS, VEL PROPTER NVPTIAS, et*  
*sponsalitiis. V. 3.* LAVTERBACH. *Diss. de donat. propt. nupt.*  
*§. 17. sq.*

72. Constituitur sicut dos, eidemque aequalis esse  
debet, quod *hodie* non obseruatur. *l. 19. C. de donat. ante*  
*nupt. Nou. 97. c. 1. j. N. 61.* HOPP. *ad §. 3. l. de donat. V. H.*  
*p. m. 336.* LAVTERB. *d. l. §. 23. sq.*

73. *Pacta dotalia*, Germanis *Ehestiftung/ Ehe-  
beredung/* sunt conuentiones, quae circa dotem, et do-  
nationem propter nuptias, speciatimque de earum con-  
stitutione, fructu, periculo, acquisitione, restitutione,  
aliisque affinibus ineuntur. *T. D. DE PACTIS DOTALIBVS.*  
*XXIII. 4. T. C. DE PACTIS CONVENTIS TAM SVPER DOTE,*

QVAM



QVAM SVPER DONATIONE ANTE NVPTIAS, ET PARAPHERNIS.  
V. 14.

74. *Horum usus hodie eo usque extensus est, ut iisdem haut raro de successione omnium bonorum agi soleat, contra legem s. C. de pact. conu. CARPZ. 2. 43. 2.*

75. Vbi tamen alii distinguunt, utrum per modum pacti et actum inter uiuos alicui omnia bona assignentur, post mortem accipienda, an successio in omnia bona post mortem concedatur, existimantes, prius fieri posse, posterius non posse. *B. a LYNCKE Ref. 345. et Vol. 1. Resp. 21. n. 12. sqq.*

76. Fiunt (1. ratione *personarum*, ab illis, qui de dote, donatione propter nuptias et similibus disponendi ius habent. *l. 7. l. 10. l. 11. de pact. dot. l. 7. C. de pact. conu.*

77. *Hodie non solum inter coniuges futuros, uel qui tales iam sunt, eorumue parentes, tutores uel curatores, sed etiam cum agnatis cognatisque ineuntur. v. B. Dn. MENCKEN. in Tab. ad D. T. de pact. dot. p. 353.*

78. (2. Ratione *modi* ( $\alpha$ . uel *scriptis*, uel *sine scriptis*. *l. 6. C. de dotis promiss. CARPZ. 2. 43. 7. et 8.*

79. ( $\beta$ . Per modum uel *contractus*, uel *ultimae uoluntatis*, etiam mixtim, in diuersis capitibus, quod ex uerbis simul et intentione paciscentium iudicandum. *CARPZOV. 2. 43. 5. et 6. MENCKEN. d. l.*

80. Pro cuius modi diuersitate ( $\alpha$ ) diuersa requisiti, *contractus* scil. uel *ultimae uoluntatis*, obseruanda sunt, ut sc. posteriori casu pacta dotalia fiant coram quinque testibus, uel iudicialiter insinuentur, cum priori casu duo testes sufficiant, et hi ne quidem requirantur, si scriptis fiant. *l. f. §. f. C. de codicill. l. 19. C. de testam.*

81. ( $\beta$ ) Pacta dotalia uel non nisi omnium, uel unius etiam, uoluntate reuocari, in totum uel pro parte, possunt, uel ipso iure, u. c. *superuenientia liberorum*, tolluntur. *v. STRYK. de S. A. l. Diff. 8. c. 5.*

82. (γ) Diuersa ex pactis dotalibus datur actio, puta uel actio ex stipulatu, aut alia ex contractu, ut praescriptis uerbis, condictio ex moribus, uel actio ex testamento, ratione legatorum, in pactis dotalibus relictorum. *l. un. §. 1. 13. C. de R. V. A. l. 6. C. de iur. dot. §. 2. l. de legat. B. MENCKEN. d. l.*

83. (3) Ratione *temporis* a coniugibus quouis tempore, ab extraneis tantum ab initio, cum sc. dos uel donatio propter nuptias constituta est. *l. 7. l. 20. §. 1. de pact. dotal.*

## CAP. V.

DE

MATRIMONII CONSTITVTI  
EFFECTIBVS.

1. Effectus matrimonii *legitimi* est uel utrique coniugi *communis*, uel alterutri *proprius*, isque uel *lucratiuus*, uel *onerosus*.

2. Effectus utrique coniugi *communis* est (*a. communio corporis et utriusque fortunae*, non bonorum regulariter. *l. 23. §. 7. sol. matr. j. 1. Cor. 7. v. 3. 4.*

3. (*β. Acquisitio munerum nuptialium* pro aequalibus partibus, nisi quid in specie uni ex coniugibus donatum, uel pactis dotalibus aliud conuentum. *v. l. ult. C. de usufr. CARPZ. 3. 22. 1. Dec. Sax. El. 51.*

4. (γ) *Jus succedendi ab intestato*, hodie in portionem statutariam, secundum ea, quae alibi dicentur.

5. (δ) *Prohibita inter coniuges donatio. T. D. DE DONATIONIBVS INTER VIRVM ET VXOREM. XXIV. 1. T. C. DE DONATIONIBVS INTER VIRVM ET VXOREM, et a parentibus in liberos factis, et de ratihabitione. V. 16.*

6. Quae

6. Quae accipienda (1. *declaratiue*, ( $\alpha$ ) si est simplex, non remuneratoria, rei propriae, non alienae, rei acquiritae, non acquirendae, inter uiuos, non mortis causa, maioris momenti, non modica. *l. 7. §. 2. l. 25. l. 5. §. 13. l. 9. §. 2. l. 31. §. 8. de donat. int. uir. et ux.*

7. ( $\beta$ ) Vt sit ipso iure nulla, non tamen simpliciter, sed si a donante reuocetur, sic ut eam rescindi imploratione iudicis necesse non fit. *l. 3. §. 10. l. 32. §. 2. eod.*

8. (2. *Limitatiue*, nisi ( $\alpha$ . iurato facta. *c. 28. X. de iur. iurand.*

9. ( $\beta$ . Mors naturalis coniugis donantis ante reuocationem expressam uel tacitam, secuta est, qua donatio sic confirmatur, ut ab initio substituisse fingatur. *l. 32. §. 1. et seqq. de donat. inter uir. et ux. l. 25. C. eod.*

10. ( $\gamma$ . Inter principem et principissam facta, quod ad nostros quoque Imperii Principes applicandum. *l. 26. C. eod.*

11. ( $\delta$ . In *Saxonia El.* iudicialiter facta est, et ab uxore quidem cum consensu curatoris, nisi sit geradae donatio. *P. 2. C. 13. et 14. CARPZ. ad C. 13. D. 16.*

12. Effectus *proprius*, et quidem ex parte *mariti*, isque *lucratiuus*, est (1) *potestas maritalis*, quae eo usque se non extendit, ut uxorem sine causa uerberare liceat. *Nov. 117. c. 14. CARPZ. L. 2. D. 221.*

13. (2. *Dominium dotis*, et quidem rerum fungibilium *irreuocabile*, non fungibilium, tam mobilium, quam immobilium, *reuocabile*. *pr. l. quib. alien. licet. l. 42. D. et l. 21. C. de iur. dot.*

14. Cuius domini effectus est, ut maritus ( $\alpha$ . res dotales uindicare possit. *l. 9. C. de R. V.*

15. ( $\beta$ . Fructus rerum dotalium sibi acquirat, adeo, ut omnia, quae uxor habet, in dubio mariti esse, et ex eius substantia profecta praesumantur. *l. 7.*

*l. 7. de iur. dot. l. 51. de donat. int. uir. et ux. ibique BRVN-  
NEM. n. 4. sq. CARPZ. L. 1. R. 85. v. B. a LYNCKER  
Tom. 1. Resp. 42. n. 39. sqq.*

16. (7.) Res mobiles alienare possit, immobiles non possit, ob L. Juliam. *l. 42. ff. l. 3. C. de iur. dot. T. D. et C. DE FVND. DOTALI. XXIII. s. V. 23.*

17. Quod (1.) *declaratur*, ut alienatio rei immobilis sit ipso iure nulla, sic tamen, ut uxor rem non prius uindicare possit, quam matrimonium solutum, aut maritus ad inopiam redactus est. *l. 42. de usucap. l. 9. C. de R. V. l. 29. C. de iur. dot.*

18. (2.) *Ampliatur*, etiam si uxor in alienationem fundi dotalis consensit. *pr. l. quib. al. lic.*

19. (3.) *Limitatur*, nisi uxor iurato consensit, uel alienatio ex causa necessaria, ipsam rem dotalem afficiente, susceperit. *c. 28. X. de iureiur. l. 1. de fundo dot.*

20. Hoc amplius alienatio rei dotalis immobilis *ex postfacto conualescit*, quando postea maritus dominus eius irreuocabilis factus est. *l. 17. de fund. dot. l. 42. de usuc.*

21. Plane non pertinet lex Julia ad res immobiles aestimato uenditionis gratia in dotem datas, uel pecunia dotali comparatas. *l. 5. et 12. C. de iur. dot. CARPZ. 3. 23. 8. Dn. WERNHER. Vol. 1. O. F. 90.*

22. *J. Sax. El.* uxor fundum dotalem cum consensu mariti et curatoris alienare potest. *C. El. 15. P. 2. j. Dec. 24. CARPZ. ad d. C. 15. D. 21. 24. 25.*

23. (3.) *Jus administrandi paraphernalia*, quorum etiam ususfructus marito *J. Sax.* competit. *l. 8. C. de pact. conu. Dn. a BERGER El. Discept. For. p. 304. n. 5.*

24. (4.) *Hypotheca legalis*, ratione dotis promissae, in bonis eius, qui promisit. *l. un. §. 2. C. de R. V. A.*

25. (5.) *Jus dotem promissam exigendi*, quod proxime ex pacto legitimo descendit. *l. 4. l. 6. C. de dot. promiss.*

26. *One-*

26. *Onerosus effectus ex parte mariti est (1) uxoris uiuae defensio et alimentatio, aegrotae curatio, defunctae funeratio, siquidem nec ipsa uxor, nec pater eius habeat, unde sumtus funeris defumi possint, uel maritus dotem lucratur. l. 2. de iniur. l. 22. §. 8. sol. matr. l. 28. l. 22. l. 16. de relig.*

27. (2) *Impensarum fructuum, tributorum et similiarum onerum de rebus dotalibus, J. Sax. etiam de paraphernalibus, praetatio. l. 13 de impens. in res dot. fact.*

28. (3) *Praestatio doli, latae et leuis culpae in concreto, ad augendam diligentiam, non periculi, nisi in rebus fungibilibus uel aestimatis uenditionis gratia. l. 17. l. 42. l. 10. de iur. dot. B. MENCKEN. ad D. d. t. p. 352. j. p. 202.*

29. Ex parte uxoris proprius effectus, isque *lucratiuus est, quod (1) consequitur nomen, dignitatem, forum, domicilium mariti. l. 105. §. ult. et l. seq. de P. S. l. 8. de senat. l. 19. de iurisd. l. 65. de iud.*

30. (2) Retinet dominium quoddam naturale rerum dotalium, hoc effectu, ut eas soluto matrimonio, uel uergente ad inopiam marito, uindicare possit. *l. 30. j. l. 29. C. l. 75. l. 10. §. 1. D. de iur. dot. HOPP. ad pr. l. quib. al. lic.*

31. (3) Habet et hypothecam et dominium in rebus propter nuptias donatis, hoc effectu, (u. ut soluto matrimonio, uel marito ad inopiam redacto, possit eas uel hypothecaria, uel rei uindicatione petere. *d. l. 29. et 30. C. de iur. dot. N. 61. c. 1. §. 1. N. 97. c. 6. §. 1. v. Diff. de pacto dom. reseru. c. 2. §. 7. et seq.*

32. (β. Vt maritus res propter nuptias donatas immobiles alienare non possit, ne quidem uxore consentiente, nisi haec post biennium consensum repetierit, eidemque ex aliis mariti bonis satisfieri possit. *Nov. 61.*

33. (4) Habet hypothecam dotis, paraphernalium et donationis propter nuptias, generaliter sine designatio-

ne

ne rerum factae, nomine, in bonis mariti, uel eius, qui dotem recepit, et quidem, quod ad dotem, cum iure praelationis. *l. 12. §. 1. et 2. C. qui pot. in pign. l. un. §. 1. C. de R. V. A. l. ult. C. de pact. conu. l. 29. C. de iur. dot. N. 97. c. 2. 3. 4.*

34. Non item alimentorum, uel bonorum receptitorum, nec eius nomine, quod uxor marito de receptitiis credit. *v. STRVV. Ex. 26. §. 14. n. III.*

35. Quae omnia *J. Sax. El.* eodem se modo habent. *v. O. P. S. El. T. 43. j. Dn. a BERGER E. D. F. p. 1451. 1455. et seq.*

36. *Onerosus* effectus ex parte uxoris est subiectio, obsequium, reuerentia marito exhibenda, item operarum, etiam artificialium, praestatio. *l. 14. §. 1. sol. matr. l. 31. de donat. int. uir. et ux. BRVNNEM. ad l. 51. D. de donat. int. uir. et ux. n. 3. MEV. ad J. Lub. P. 2. T. 2. a. 12. n. 132. sqq.*

37. Itemque domicilii mutatio, quoties idem maritus mutat, nisi uel aliud pactis dotalibus conuentum, nec noua causa superuenit, uel maritus plane uagabundus fit. *a. l. 1. C. de const. pec. j. l. 38. de solut. B. a LYNCKER Tom. 1. Resp. 93. n. 10. et 21.*

38. Incipiunt effectus omnes, tam communes, quam proprii, tam lucratiui, quam onerosi, regulariter a tempore contracti legitime matrimonii, atque sic hodie a copula sacerdotali. *v. l. 1. qui pot. in pign. C. El. Sax. 24. P. 2. SCHILT. I. J. C. l. 2. t. n. §. n. sqq.*

39. Exceptio est *J. Sax. El.* in iure *succedendi* in portionem statutariam, uel ex pactis dotalibus, quod incipit a tempore conscensi thalami, non tamen praecise fecutae copulae carnalis. *CARPZ. 3. 19. 3. et sqq.*

40. Similis exceptio communiter statuitur in hypotheca tacita pro bonis paraphernalibus, quae a tempore illationis incipiat. *CARPZ. 2. 24. 3.*

CAP.

## CAP. VI.

QVA RATIONE MATRIMONIUM  
ET QVO CVM EFFECTV  
SOLVATVR.

1. Matrimonium uel *ab initio nullum est*, uel *ex post facto dissoluitur*.

2. *Ab initio nullum est* (1. J. Ciu. quando contra leges contractum, licet mere ciuiles leges sint, uel rescriptum principis super nuptiis prohibitis sub- et obreptitie impetratum. §. 12. I. de nupt. T. C. SI NYPTIAE EX RESCRIPTO PETANTVR. V. 8.

3. (2. J. *hod.* regulariter, si contra leges Diuinas, easque negatiuas, contractum, non si contra leges mere ciuiles. *uid. Cap. praec. pos. 28. et 29.*

4. *Ex post facto soluitur* matrimonium modo uel *ordinario*, per mortem alterutrius coniugis, uel *extraordinario*, facto inter uiuos diuortio. T. D. DE DIVORTIIS ET REPV-  
DIIS. XXIV. 2.

5. Diuortium J. Ciu. uel utriusque coniugis uoluntate, uel unius, coram 7. testibus, ex uariis causis procedit. *Nou. 22. c. 4. 14. 15. 16. 19. N. 117. c. 8. et seqq.*

6. *Hodie non fit*, nisi causa cognita, sententia iudicis ecclesiastici, ad partis implorationem, ex causa *adulterii* uel *malitiosae desertionis*.

7. *Adulterium* accipiendum est uerum, ut concubitus, et quidem sponte, factus sit, licet semen immissum non sit. c. 12. X. de praesumpt. l. 13. §. 7. ad L. Jul. de adult. Dn. a BERGER El. Pr. Matrim. §. 30. Dn. WERNHER. Vol. 1. O. F. 47.

8. Cessat causa adulterii, si uterque coniux adulterii reus est, uel unus alteri adulterium expresse uel tacite re-

F

misit,



mifit, uel adulterio causam dedit. *l. 13. §. 5. et 9. ad L. Jul. de adult. C. El. Sax. 20. P. 4.*

9. *Malitiosa desertio* accipienda est tam absentis, quam praesentis, sed qui constanter denegat concubitum, uel dolo capax concubitus esse desiit, uel tanta saeuitia est, ut coniugi periculum uitae immineat. *Dn. a BERGER Oec. J. p. 120. STRYK. Tr. de diff. sponsalit. S. 6. §. 20. §. 99. et U. M. II. Tit. de diuort. §. 9 §. 99. BRVCKNER. Dec. matrim. c. 16.*

10. Absens pro malitioso desertore habetur, postquam processu desertionis rite instituto, legitime citatus emanfit, et in contumaciam eius sententia partis innocentis absolutoria lata est. *Dn. WERNHER. Vol. 1. O. F. 104. n. 21. §. 99.*

11. Processus desertionis non aliter decernitur, quam si de iusta causa absentiae non constat, tantumque temporis spatium praeterlapsum est, quantum arbitrio iudicis fati uidetur. *N. 17. c. u. STRYK. Tr. de diff. sponsal. Sect. 6. §. 38.*

12. *Effectus soluti matrimonii* distincte considerandus, prout uel *morte alterutrius coniugis*, uel *diuortio* solutio contigit.

13. *Morte alterutrius coniugis soluti matrimonii effectus* est (I) *licentia nouum matrimonium ineundi*, caeteris paribus.

(II) *Dotis et donationis propter nuptias recuperatio.* *T. D. SOLVTO MATRIMONIO DOS QVEMADMODVM PETATVR. XXIV. 3. T. C. SOLVTO MATRIMONIO QVEMADMODVM DOS PETATVR. V. 18.*

15. *Dos repetitur* (I) *ratione subiecti actiui* (a. defuncta uxore, a patre, si *profecitua* est, ab heredibus uxoris, & *aduentitia.* *l. 6. de iur. dot. l. un. §. 6. C. de R. U. A.*

16. *Prius ampliatur*, etiamsi liberi existunt, quod  
*hodie*



*hodie secus. SAND. l. 2. t. 2. d. 5. B. MENCKEN. in Tabb. ad D. T. fol. matr. p. 355.*

17. *Posterius limitatur, nisi extraneus, qui dotem dedit, pacto sibi de repetenda dote prospexit. l. un. §. 13. C. de R. U. A.*

18. *J. Saxonico tam communi, quam El. dos in mobilibus consistens marito, in immobilibus consistens heredibus defunctae legitimis acquiritur. J. Pr. Sax. l. 1. a. 31.*

19. *Si dos constante matrimonio uxori soluta seu refusa, defuncta hac debet dos ab heredibus eius cum fructibus ex die refusae dotis marito restitui, sic ut proprietatis liberis, ususfructus marito ut patri competat. T. C. si DOS CONSTANTE MATRIMONIO SOLVTA EVERIT. V. 19.*

20. *(β. Defuncto marito, ab uxore et patre simul, in cuius potestate est, quando dos profectitia est, ab uxore sola, si aduentitia est, nisi extraneus, qui dotem dedit, conventionione sibi de repetendo prospexit. l. 2. §. 1. fol. matr. l. un. §. 13. C. de R. U. A.*

21. *J. Saxonico El. uxor uel dotem repetere, uel ea in hereditate mariti relicta portionem statutariam accipere potest. P. 3. C. El. 20.*

22. *Exceptio generalis est, tam ad J. ciuile, quam ad hodiernum et Saxonicum pertinens, nisi aliud pactis dotalibus conuentum, uel statutis aut consuetudinibus locorum introductum. l. 48. fol. matr. j. l. 35. et sqq. de LL.*

23. *(2) Ratione subiecti passivi a marito, eiusue heredibus, uel patre, in cuius est potestate, hoc effectum, (α. ut maritus, qui dolo malo patrimonium non diminuit, eiusque liberi ex defuncta uxore suscepti, beneficio competentiae gaudeant. l. 22. §. 12. l. 12. l. 18. fol. matr. l. un. §. 7. C. de R. U. A. T. C. NE PRO DOTE MYLIERIS BONA QVONDAM MARIII ADDICANTVR, ID EST, IN SOLIDVM DENTVR. V. 22.*

24. *Quod adeo firmum beneficium est, ut pacto*



eidem renunciari non possit, ob reuerentiam marito debitam. *l. 14. §. 1. sol. matr.*

25. (β. Vt tam maritus, paterue, quam heredes, *impensas* in res dotales factas, recipiant, prout *necessariae*, *utiles*, uel *uoluptariae* sunt. *T. D. DE IMPENSIS IN RES DOTALES FACTIS. XXV. 1.*

26. *Necessariae* impensas recipiunt, si sunt magnae, adeo, ut ipso iure dotem minuant, quae in pecunia consistit, rerum uero immobilium retentio competat, et si dos iam restituta, per condictiōnem indebiti repetantur. *l. 5. pr. et §. 2. l. 12. l. 15. de impens.*

27. *Utiles* impensas recipiunt citra retentionem actione *mandati* uel *negotiorum gestorum*, prout uel uoluntate mulieris, uel sine ea factae sunt, itemque caeteris paribus per compensationem. *l. un. §. 5. C. de R. U. A. l. 7. §. 5. sol. matr.*

28. *Voluptarias* impensas recipiunt actione in factum, quando uxor res uoluptarias tolli non uult, quae sine detrimento rerum dotalium auferri possunt, et tollentibus profuturae sunt. *l. 9. de impens.*

29. *Donatio propter nuptias* soluto matrimonio morte siue uxoris, siue mariti, reuertitur ad patrem, si *profectitia* est, remanet apud maritum uel eius heredes, si *aduentitia* est. *l. 2. C. de bon. quae lib. l. 18. C. de don. propt. nupt.*

30. Non cedit uxori, nisi pactis dotalibus de ea lucranda conuentum, uel dos salua non est, uel statutis aut consuetudine locorum aliud introductum. *CARPZ. L. 6. R. 5. n. 1. j. P. 2. C. 42. D. 1. n. 8.*

31. Neque repeti potest ab extraneo, a quo pro marito constituta, nisi pacto sibi de ea repetenda prospexit. *d. l. 18. C. de don. propt. nupt. v. LAVTERB. Dissert. de donat. propt. nupt. §. 58.*

32. *Hodie* etiam profectitia donatio propter nuptias apud

apud maritum remanet, quamvis eadem aliquando in hereditatem patris conferenda fit. LAVTERB. d. §. 58.

33. Nec obseruatur, quod de aequalitate inter dotem et donationem propter nuptias in lycratione et pactis de ea compositis obseruanda scriptum. Nou. 97. c. 1. LAVTERB. d. l. §. 60.

34. (III) *Rerum constante matrimonio a coniuge ablatarum recuperatio*, per actionem utilem rerum amotarum, directa in casu soluti diuortio matrimonii competente. l. 21. l. 25. de act. rer. amot. Comp. LAVTERB. p. 456.

35. Ab heredibus recuperatur, quantum ad eos peruenit, ab ipso coniuge, quantum ablatum, citra beneficium competentiae. l. 3. C. l. 21. §. ult. II. eod.

36. (IV) *Successio actualis ab intestato*, caeteris paribus, hodie in portionem statutariam.

37. *Diuortio ex causa adulterii uel malitiosae desertionis soluti matrimonii effectus est* (I. *Licentia nouum matrimonium ineundi*).

38. Quod accipiendum (α) de parte innocente, et post sententiam definitiuam super desertione uel adulterio latam. CARPZ. L. 3. D. 67. 68.

39. (β) *Cum temperamento spatii*, ut uxor post annum demum ad secundas nuptias progredi possit. l. 8. §. 4. C. de repud. CARPZ. L. 2. D. 190. j. L. 3. D. 67.

40. (γ) *Vt coniux, qui pro desertore habitus, repetere in matrimonium possit coniugem priorem, etiam alteri iam desponsatum, uel copula sacerdotali iunctum, imo etiam copula carnali, si iustas absentiae causas docere, nec adulterii conuinci potest.* DN. aBERGER. Oecon. Jur. p. 121. CARPZ. L. 2. D. 69. 70.

41. *Nociua pars non potest nouum matrimonium contrahere, nisi ex speciali domini territorialis dispensatione, et quod nonnulli non male addunt, post nouas nuptias.*

ptias ab altero coniuge celebratas. v. *Dn. WERNHER. Vol. 1. Obs. F. 204. j. CARPZ. L. 3. D. 71.*

42. (II. *Priuatio dotis uel donationis propter nuptias*, quae coniugi innocenti lucro cedit, non item paraphernalium. *Nov. 117. c. 8. §. 2. CARPZ. Qu. 64. n. 22. sqq. LAV-TERB. d. Diff. §. 74. 75.*

43. Quod *J. Saxonico* ad paraphernalia, quae marito, et geradae, quae proximae cognatae cedit, et in genere *J. hodierno* ad lucrum successionis ex statuto, quatenus dote uel donatione p. n. amplius est, extenditur. *CARPZ. d. l. n. 28. sqq. j. P. 4. C. 21. D. 1. et 2.*

44. (III. *Amisso iuris succedendi* ab intestato uel *hodie* in portionem statutariam, uel ex pactis dotalibus, aut ex testamento constante matrimonio facto, in certam dotis uel donationis propter nuptias, aut aliam bonorum partem. *CARPZ. d. Q. 64. n. 32 sqq. et P. 3. C. 26. D. 9.*

45. (IV. *Rerum constante matrimonio ablatarum recuperatio*, ob quam actio rerum amotarum directa competit, contra coniugem scilicet, qui diuortio causam dedit. *l. 1. de act. rer. amot.*

46. Praeter diuortium moribus introducta *a)* est *separatio coniugum quoad thorum et mensam*, *Ehescheidung von Tisch und Bette*/ quae et ipsa iudicis ecclesiastici auctoritate fit.

47. Haec non soluit uinculum matrimoniale, sed cohabitationem suspendit, unde effectus soluti matrimonii ad

*a)* Ergo haec separatio a thoro et mensa non confundenda est cum illa separatione, quae in Jure Canonico habetur, ubi ex principiis Catholicae religionis nullum matrimonium, nequidem ob adulteriam, penitus, seu quoad uinculum matrimoniale, soluitur, sed coniuges a thoro et mensa separantur, etiam ad dies vitae. *Conf. Tit. X. de diuort.*, add. *CARPZ. L. 2. D. 210.*

ad eandem applicari non possunt, excepta utili rerum amotarum actione. Conf. CARPZ. *L. 2. D. 213. § 99. jung.* SCHILT. *Exerc. 36. §. 122.*

48. Fit ad tempus, eum in finem, ut exacerbati coniugum animi leniantur, et ad saniora consilia redeant. CARPZ. *L. 2. D. 216. n. 1. 2. et Dec. 180. n. 5.*

49. Facta reconciliatione, uel cautione idonea parti innocenti a nocente praestita, tollitur, et coniuges ad cohabitandum compelluntur. CARPZ. *L. 2. D. 216. et 220.*

50. Si reconciliatio non subsequitur, adhibentur remedia compulsozialia, et his quoque frustra adhibitis, ad partis innocentis implorationem tandem ad totalem dissolutionem matrimonii descenditur. *B. a LYNCKER Vol. 2. Conf. 25. j. CARPZ. L. 2. D. 208.*

51. Vbi salua non solum manet parti innocenti portio statutaria, uel pars bonorum in pactis dotalibus in casum mortis assignata, sed etiam exigi illa potest, non secus, ac si pars nocens iam defuncta esset. *B. a LYNCKER d. l. n. 14. § 99.*

52. Imo nec parti nocenti ius capiendi illam ademtum censendum est, quamdiu separatio tantum a thoro et mensa facta, atque sic matrimonium durat et spes reconciliationis superest. CARPZ. *L. 2. D. 215.*

53. Durante separatione quoad thorum et mensam alimentanda est uxor, si ipsa de bonorum suorum fructibus uiuere non possit. *B. a LYNCKER Dec. 1069. CARPZOV. L. 2. D. 213.*

54. Quod accipiendum, si separatio ob culpam mariti facta, non. si ob culpam ipsiusmet uxoris. CARPZOV. *d. l. n. 7. § 9.*

55. Qua parte tamen exclusum arbitrium iudicis pro circumstantiarum ratione esse nolim.

56. Cautio, ad quam subinde parti innocenti praestan-

standam pars nocens adigitur, accipienda est fideiussoria uel pignorantia. CARPZ. *L. 2. D. 209.*

57. Juratoria locum non habet, nisi uel eam acceptet pars innocens, uel alia deficiat, pro circumstantiarum ratione et arbitrio iudicis. CARPZ. *d. l. ibique cit. COLERVS et BERLICH.*

58. Ratione quantitatis iudex modum ponit cautioni pro arbitrio, cautionemque recipit, etiam altera parte inuita. CARPZ. *L. 2. D. 218. n. 8. RICHT. P. 1. Conf. 18. n. 24.*

### CAP. VII.

#### DE CONTUBERNIO.

1. *Contubernium in genere* de quauis coniunctione, quae sine iustis nuptiis fit, usurpatur, siue defectus libertatis, siue ciuitatis, siue alia causa iustas nuptias impediatur. *l. 5. et 11. C. de nat. lib. l. 3. C. de iur. leg. l. 4. C. Th. de incest. nupt.*

2. *In specie* usurpatur de coniunctione personarum, quarum uel una, uel utraque seruilis conditionis est. *l. 3. C. de incest. nupt. l. 29. C. de lib. caus. PAUL. Sent. l. 2. t. 19.*

3. Contubernium a matrimonio differt causis et effectibus *ciuilibus*, non *naturalibus*.

4. Vnde contubernium iisdem gradibus est prohibitum, quibus iustum matrimonium. *a. l. 14. §. 2. de R. N. l. 11. §. 1. ad L. Jul. de adult.*

5. Sed dos et donatio propter nuptias, et successio post mortem, et id genus alia in contubernio cessant. *§. 12. l. de nupt.*

6. Nec nascuntur ex contubernio iusti liberi, sed serui, uel liberi naturales, aut spurii, uel incestuosi, uel peregrini.

7. Quod

7. Quod ultimum de peregrinis uerum est, etiam si pater peregrinus, mater ciuis Romana sit, propter Legem Mensiam, quae hac parte prolem iubet deterioris parentis conditionem sequi. VLPIAN. *t. s. §. 8. j. l. 24. de statu hom.*

8. J. Canonico et hodierno seruis matrimonium permissum est, cum effectibus sc. istis, quorum seruilis conditio capax est. *T. Decret. de coniugio seruor.*

9. Inter homines proprios sine dubio matrimonium est, licet pro moribus regionum interdum restrictum, u. c. ad consensum domini, ut in Pomerania. MEV. *P. s. D. 130.*

10. Item ad eum effectum, ut altera persona, quae a conditione hominis proprii libera est, eandem recipiat, et una cum coniuge eidem domino subiiciatur, ut in Westphalia. STRYK. *ad Brunnem. J. E. l. 2. c. 16. §. 18. p. 612.*

11. Nec hodie in Imperio peregrinitas iustum matrimonium impedit, siue una persona, siue utraque peregrina sit. v. SCHILT. *Diff. de iure peregrin. §. 20.*

12. Nec si quid aliud ex iis, quae J. Rom. ad iustas nuptias requiruntur, deest, hodie statim contubernium efficitur, secundum ea, quae iam de matrimonio dicta sunt.

## CAP. VIII.

DE

## CONCUBINATV.

1. Concubinitus nec fornicatio est, nec matrimonium sensu ciuili et stricte dictum, sed tertii generis quaedam uiri et mulieris coniunctio minus solennis, minusque efficax et perpetua, legibus ciuilibus permessa. *T. D. et C. DE CONCUBINIS. XXV. 7. V. 26.*

2. Differt (1. a fornicatione, eo quod concubinitus, si non perpetuam, tamen diuturnam et legibus permissam uitae consuetudinem, nec uagum concubitum, sed unius

G

cum



cum una, continet. *l. 144. de V. S. iung. l. 5. ad SCT. Orfic.*

3. (2. Ab adulterio, eo quod concubinam habere permissum, et quidem ei tantum, qui uxorem non habet. *l. 3. §. 1. D. l. un. C. de concub. PAUL. recept. sent. l. 2. t. 20.*

4. (3. A matrimonio ( $\alpha$ . ratione constitutionis, eo quod (1) concubina citra nuptiarum pactorumque dotalium solennitatem solo affectu assumitur. *l. 4. de concub.*

5. Nisi ingenua sit, eaque talis, quae honestiori loco nata, nec quaestum corpore fecit, nec adulterii damnata est, quo casu expressa testatione mentis opus. *l. 1. §. 2. l. 3. de concub. j. l. 24. de R. N.*

6. (2) Concubina fieri potest et solet, quae uxor fieri non potest, uel non solet. *l. 5. l. 1. de concub.*

7. ( $\beta$ . Ratione effectus, eo quod (1) concubina non consequitur dignitatem, nec forum domiciliumque eius, cuius concubina est. *l. 49. §. 4. de leg. 3. l. 37. §. 2. ad municip.*

8. (2) Nec succedit ei ab intestato ex edicto unde uir et uxor, licet in casu speciali, quando nulla coniux legitima, nec liberi legitimi extant, una cum liberis naturalibus in duas uncias succedat, ex noua lege Justiniani. *N. 89. c. 12. §. 4.*

9. (3) Liberi ex concubina nati iusti liberi non sunt, nec in potestate patris, sed naturales, qui legitimi heredes, nisi in casu praedicto ex parte, non sunt, sed legata tamen a patre capere, imo heredes institui possunt. *d. Nou. j. WISENB. ad l. 2. 3. 4. C. de nat. lib.*

10. (4) Donatio inter uirum et concubinam subsistit, adeo ut nec secuto matrimonio ad irritum recidat. *l. 31. de donat. l. 53. de donat. inter uir. et ux.*

11. ( $\gamma$ . Ratione dissolutionis, eo quod nouo iure diuortium non nisi ex iusta causa procedit, concubinatus libera



libera unius uoluntate soluitur. *Nov. 117. c. 10. l. 1. pr. de concub.*

12. Conuenit concubinatus cum matrimonio in eo, quod honestatis ratio habetur, nec contrahi cum ea persona potest, cum qua incestae nuptiae contrahuntur. *l. 1. §. 3. de concub.*

13. Imo reuera nihil aliud est, quam matrimonium minus solenne, inferius, restrictum, seu ut in ipso iure uocatur, *inaequale*, maxime cum et in concubinam adulterium committatur. *l. 3. C. de nat. lib. l. 23. ad L. Jul. de adult.*

14. Post Justinianum prohibitus concubinatus fuit a Leone Philosopho. *Nov. Leon. 91.*

15. Jure Canonico utrum permixtus sit concubinatus, an prohibitus, dubium est. *v. c. 4. et 5. Dist. 34. ll. THOMAS. Diff. de concubinatu, §. 23. et seq.*

16. Illud certum, concubinatum post initium Sec. XVI. a Leone X. Pontifice Romano, in Concilio Lateranensi, et post in Concilio Tridentino sub poena priuationis beneficiorum et excommunicationis, esse prohibitum. *c. 1. et 2. X. de concubinariis in 7. Dn. THOMAS. d. l. §. 28. et 32.*

17. Item Jure Imperii et Sax. *Elect.* prohibitus est, sub poena arbitraria. *Ord. Pol. Imp. de A. 1530. t. 33. et de A. 1577. t. 26. CARPZOV. L. 2. D. 235. j. THOMAS. d. l. §. 31.*



## CAP. IX.

DE

## ACTIONIBVS EX STATV MATRIMONIALI DESCENDENTIBVS.

1. Ex statu matrimoniali oriuntur actiones cum *praeiudiciales*, quibus de statu matrimoniali, tum *aliae*, quibus non de statu, sed tamen ex statu de officiis coniugum uel de rebus aut iuribus matrimonialibus agitur.

2. Actiones *praeiudiciales* sunt uel *affirmatoriae*, uel *negatoriae*.

3. *Negatoriae* competunt iis, qui uinculo matrimoniali nullo constricti sunt, contra eos, qui se pro sponsis uel coniugibus illorum gerunt, ad hoc, ut non esse sponsi sponsaue, uel coniuges declarentur.

4. In specie actio, qua intenditur, ut matrimonium uel sponsalia uitiose contracta retro pro nullis declarentur, *annullatoria* appellatur.

5. *Affirmatoriae* competunt inter eos, qui uinculo matrimoniali laxius sumto constricti sunt, uel *pro matrimonio*, uel *contra illud*.

6. *Pro matrimonio* competit (1. *sponso* uel *sponsae* actio *matrimonialis*, contra sponsam uel sponsum, qui quaeue se talem esse negat, ad hoc, ut reus reauē pro sponso sponsaue declaretur, et ad consummandum matrimonium compellatur.

7. (2. *Coniugi* actio *cohabitationis*, contra coniugem, qui se coniugem esse negat, ad hoc, ut pro coniuge declaretur, et ad cohabitationem compellatur.

8. *Contra matrimonium* competit (1) inter *sponsum* et *sponsam* actio *repudii*, ad hoc, ut sponsalia dissoluantur.

9. Quae

9. Quae actio ex moribus nostris est, cum J. Romano repudia fuerint libera, et unius uoluntate pro lubitu mitti potuerint. *T. C. DE REPUDIIS, et iudicio de moribus sublato. V. 17.*

10. (2) Inter coniuges actio dissolutoria (*a. uinculi matrimonialis*, ex causa adulterii, quae actio diuortii, uel *malitiosae desertionis*, quae actio *malitiosae desertionis* appellatur.

11. (3) Consortii seu *cohabitationis* actio *separationis* quoad *thorum et mensam*.

12. Veteri iure Romano marito ad conuincendam uxorem adulterii, diuortiumque cum effectu lucrandae dotis faciendum, competiit iudicium de moribus, quod nouo iure sublato, et accusatio marito permissa. *l. u. §. 2. et t. T. C. DE REPUDIIS, et IUDICIO DE MORIBVS SVBLATO. V. 17. Nou. 117. c. 8. §. 2.*

13. *Aliae* actiones, quae ex statu matrimoniali descendunt, *a)* nec praeiudiciales sunt, competunt ratione matrimonii 1) *constituendi*, 2) *constituti*, 3) *soluti*.

14. Ratione matrimonii *constituendi* competit *imploratio officii iudicis*, contra eum eamue, qui quaeue se sponsum sponsamue esse non negat, sed consummationem matrimonii sine causa differt, ad hoc, ut ad consummandum matrimonium compellatur. *b)*

G 3

15. Ra-

*a)* Vel ad minimum respectum ad illum habent, licet proxime ex iure in re uel ad rem descendant. Vid. *Exercit. II. c. 1. pos. 2. lit. b.*

*b)* Hoc casu actionem praeiudicialem de statu locum non habere, cum status non negetur, certissimum est, perinde ac inter coniuges, qui se tales esse non negant, locum non habet, sed similiter imploratio officii iudicis concedenda. At recentiorum nonnulli plane statum sponsalium reiiciunt, nec

15. Ratione matrimonii *constituti* competit (1. *marito* (s. *imploratio officii iudicis* contra *socerum* uel *socrum*, ad praestandam *dotem*, iis casibus, quibus isti ad constitu-

tuen-

nec putant *actione praeiudiciali* opus esse etiam eo casu, cum *sponsus* *sponsa* se talem esse negat, sed sufficere et hoc casu *implorationem officii iudicis* ex eo, quod *sponsalia* *statum nouum* non inducant, ut quidem *matrimonium*, sed *simplicem obligationem* inter *desponsatos* operentur, ad *sponsalia consummanda*. Inde etiam de *Jure Romano* non *actionem praeiudicalem*, sed *ex sponsu datam esse*, ex GELLIO *Noct. Attic. l. 4. c. 4.* aiunt, nec recte peti putant hodie, daß die *Beklagte vor Klägers Braut zu erklären* / sed potius *petitionem ira formandam esse*: daß *Beklagte die versprochene Ehe durch Priesterliche Copulation zu vollziehen schuldig sey.* III. BÖHMERS *tr. de action. Sect. 2. c. 1. §. 46.* Sed nescio, an *argumentum ex Gellio* ab *actione ex sponsu peti- tum* sufficiat. Nam primo *Gellius* non de *universalibus Romanorum moribus*, sed de ea parte *Italiae*, quae *Latum appellata*, loquitur. Deinde *clare docet*, *contractum stipulationis* non inter *sponsum* et *sponsam*, sed inter *sponsum* et *sponsae parentem celebratum fuisse*, nec *ex sponsu contra sponsam*, sed *eius parentem*, qui *filiam desponsauerat*, actum fuisse. Add. DION. GOTHOFREDI *in not. ad L. 2. D. de sponsal. lit. a.* Quid ergo si *filia parentibus orbata sponsalia iniit*? Hoc *amplius cum status personarum non sit*, ubi non *ius in personam est*, uideretur *sponso etiam ius aliquod in sponsam esse*, non tale quidem, quale *marito in uxorem*, sed tamen *aliquod*, et *simile quoddam*. Inde est, quod *sponsa castius et magis compositae uiuere debeat*, et qui *sponsam alterius deflorauit*, *grauius puniatur* quam *alius stuprator*. Hinc nescio, an *ueterum doctrina de statu sponsalicio penitus deserenda sit*, et an *iure taxari possit formula petendi*, ut *rea pro auctoris sponsa declaretur*, maxime si cum *altera coniungatur*, et *ad consummandum promissum matrimonium adigatur*.

CA

tuer  
ZO

tion  
lege

dotē  
de do

se u  
ut a

ritur  
quae  
prae

sum  
nata  
l. 29.

c. 2. §

rum  
dotis  
quae

ex s

e)

tuendam filiae dotem obligati sunt. *l. 19. de R. N. CARP-ZOV. 2. 42. 12.*

16. Quod accipiendum de obligatione ex dispositione legis, non ex pacto, quo si dos promissa, *condictio ex lege* locum habet. *l. d. C. de dot. promiss.*

17. (β. *Querela non numeratae dotis*, eo casu, quando dotem cautam, non numeratam habet. *l. 2. et auth. seq. C. de dote cauta non num.*

18. (γ. *Imploratio officii iudicis*, contra uxorem, quae se uxorem esse non negat, sed officium non facit, ad hoc, ut ad officium faciendum adigatur.

19. (2. *Vxori*, (α) *imploratio officii iudicis* contra maritum, qui se talem esse non negat, sed praestare ea, ad quae maritus obligatus est, u. c. alimenta, recusat, ut ad praestanda ea adigatur.

20. (β) *Vindicatio rerum dotalium*, uel si istae consumptae aut deterioratae sunt, rerum propter nuptias donatarum, in casu, quo maritus ad inopiam reductus est. *l. 29. et seq. C. de iur. dot. v. Dissert. mea de pacto dom. reseru. c. 2. §. 13.*

21. (γ) *Actio hypothecaria* eodem casu, qua uel rerum ipsarum propter nuptias donatarum, uel aliarum, dotis uel donationis propter nuptias nomine, c.) possessio quaeritur. *dd. §.*

22. Ratione matrimonii *soluti* competit (α. actio *ex stipulatu*, uxori uel patri, siue stipulati sunt, siue non, item

---

α) Nam et rerum propter nuptias donatarum nomine uxori tacita hypothea in reliquis bonis mariti competit, licet absque priuilegio praelationis. *d. l. 29. C. de iur. dot.* In ipsis uero rebus propter nuptias donatis et dominium et hypothea competit, ut uxori electio sit, utro uti uelit, ut plurius eui in *cit. Dissert. Vitembergae A, 1712, habita.*

item extraneo, qui stipulatus est, uel si nudo pacto de restituenda dote conuentum, *condictio ex moribus*, contra maritum, uel alium, qui dotem suscepit, ad dotem restituendam.

23. Actio ex stipulatu in locum *rei uxoriae actionis*, quae ueteri iure Romano competiit, substituta est. *T. C. DE REI UXORIAE ACTIONE IN EX STIPVLATV ACTIONEM TRANSFVSA, ET DE NATVRA DOTIBVS PRAESTITA. V. 13.*

24. (β. *Vindicatio rerum dotalium*, quae extant, uel contra L. Juliam alienatae sunt, item rerum propter nuptias donatarum. *d. l. 29. l. 30. C. de iur. dot.*

25. *Eadem* concedenda uxori uidetur, quando matrimonium diuortio culpa mariti factio, solutum, ad lucranda donationem propter nuptias, aut certe *imploratio officii iudicis*, ut ipsi praeter dotem donatio propter nuptias ex bonis mariti praestetur. v. CARPZOV. 4. 21. 3. LAVTERB. d. *Diff. §. 76.*

26. (γ. Actio *hypothecaria* uxori uel eius heredibus, ratione dotis uel donationis propter nuptias, *conf. pos. 27. h. C.*

27. (δ. Actio *rerum amotarum*, ad res durante matrimonio ablatas restituendas. *T. D. DE ACTIONE RERV AMOTARVM. XXV. 2. T. C. RERV AMOTARVM. V. 21.*

28. (ε. *Hereditatis petitio*, eaque directa ex lege, utilis ex pactis dotalibus, itemque *imploratio officii iudicis* ad consequendam portionem statutariam.



Kc 1603

ULB Halle


3

007 416 857



W 18







59

1723

619

Q. D. B. V.

CURSUS JURIS  
SEU

JURISPRUDENTIÆ UNIVERSÆ  
IN ARTEM REDACTÆ  
EJUSDEMQUE

LIS  
O VI.  
TRIMO-

*Ke 1603*

RTUNGIL.D.  
DGRAVII HAS-  
LIARIO, ET  
DIN.

M  
A.

*Meri.*

